






QUAE DE HOMINUM POST MORTEM CONDICIONE DOCEANT CARMINA SEPULCRALIA LATINA.

UNIVERSITAS LIBERA REFORMATA AMSTELODAMENSIS.

QUAE DE HOMINUM POST MORTEM CONDICIONE DOCEANT CARMINA SEPULCRALIA LATINA.

DISPUTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

I. WOLTJER,

PHILOS. THEOR. ET LITT. HUMAN. DOCT., IN FAC. LITT. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND"

GERRIT WILLEM VAN BLEEK,

E PAGO STEENDEREN,

DIE XXII M. NOV. A. MCMVII, HORA III.



ROTERODAMI,

APUD

T. DE VRIES Dz.

MCMVII.



PATRI MEO
ET PIAE MEMORIAE MATRIS.



Inaugurali disputatione ad finem perducta cum iam in eo sim, ut studia academica absolvam, maximas gratias ago vobis omnibus, viri clarissimi, huius Universitatis Professores, quorum non satis praedicare possum insignia de me merita: vestra enim et benevolentia in me semper erat maxima et literarum institutio saluberrima.

Imprimis te, clarissime Woltjer, humanissime promotor, grato animo nomino, cuius et scholis et praeceptis optimis per multos annos mihi frui licebat, cuius et memoria mihi semper sit pie veneranda.

Nec non tibi, clarissime Geesink, gratiam debeo, qui philosophiae historiam me docuisti eiusque disciplinae amore me imbuisti non parvo.

Domus tua, clarissime Rutgers, mihi semper patebat; blandissima tua consuetudine domestica me saepe usum esse ex animo gaudeo, pro quo beneficio vix satis gratus mihi videar.

Et vos, commilitones carissimi, quorum mihi erat et iucundissima et fructuosissima amicitia, valere omnes iubeo.



PRAEFATIO.

Quae de condicione eorum, qui vita functi sunt, crediderit antiquitas, non facile statuitur, non ideo quod desint testimonia variarumque cogitationum nuntii satis multi — mirum quantum et poëtae et pedestris orationis scriptores veteres hac de re disseruerunt nec usquam fere tacent tituli sepulcrales — sed quod aut obscura sunt, aut minime inter se conveniunt saepe quae traduntur. Neque est neglegendum nunquam fere tales opiniones immotas constare et inconcussas, sed per temporum cursum crescere et mutari, interdum quoque evanescere. Unde quovis temporis spatio inveteratae stant opiniones, cum oriantur vel ortae iam sint aliae eaeque novae, quae ab veterrimis prorsus discrepent.

Constat enim huius rei dogmata, quae dicuntur, antiquis temporibus nunquam fuisse divulgata neque operam dedisse veteres, ut quae sentirent in dogmatum formam redigerent, utpote qui ab iis vulgo abhorrerent[1]). Hoc igitur statuendum est, multa ac diversa de hominum post mortem condicione tradita esse, quae cum componere et coniungere liceat, in unum conferre opus erit, ut inde, quam maxime fieri possit, efficiantur variae antiquorum hominum sententiae.

Quanti autem intersit[2]), quae et qualia de ea re senserit

1) Philosophi soli quodammodo excipiendi sunt. De mysteriis autem alio loco sermo erit.

2) cf. Epitaphes. Textes choisis et commentaires publiés par Frédéric Plessis. Paris. Fontemoing 1905, p. XX: „Mais, œuvres anonymes de poètes

antiquitas, considerare et cognoscere unicuique apparebit, qui secum reputaverit, quantum ad vitae degendae rationem valeant, quae homines vita peracta sibi contingere censeant. Mors enim sua quemque manet. Qui vero pro certo habent mortem vitae finem facere, ita ut ex homine nihil restet nisi cinis pulvisque exiguus, vitam degant necesse est securi et hilares; si qui autem animum superesse putent, hos ea vitae ratione uti veri simile est, quae talem statum spectet.

Tituli autem sepulcrales in hominum sententiis diiudicandis non parvi momenti esse facile perspicitur. Res enim ita fert, ut tum maxime cum suos morte abreptos vident homines, de eo cogitent quid sit mors ac quaerant, quae sint post mortem sibi parata, (id quod mente vix potest comprehendi) et cum titulos memoriae gratia insculpendos curant, iis potissimum ad animos suos placandos aut superstites luctu afflictos consolandos quae de re tam gravi sibi videantur, significent.

Accedit quod unusquisque homo, qui suorum memoriam in superstitum animis retineri cupit, dummodo lapicidae solvendi facultates suppeditent, titulum lapidi vel monumento inscribendum curat, quo fit ut tituli sepulcrales aptissimi sint, qui indicent opiniones vulgi, doctorum et philosophorum sententiis nondum tacti, quibus saepe opponuntur [1]). Tituli igitur sepulcrales multum conferunt ad cognoscenda hominum de condicione post mortem cogitata.

Res autem suam habet difficultatem.

Multi enim homines, tituli componendi aut rudes aut segniores, titulos lapidibus incisos et hic illic omnium oculis subiectos vix cohibebantur, quin transscriberent: itaque in

„obscurs ou d'amateurs, il convient de ne pas les oublier et de rendre „justice à l'effort, qui les a élaborées. Et toutes, d'où qu'elles viennent, „quelles qu'elles soient, médiocres ou charmantes, conservent une valeur „historique et morale, nous renseignent sur la vie et l'âme des hommes „morts il y a deux mille ans, et dont le nom demeure fixé sur ces pierres."

1) cf. Plessis l. l. p. LII.

iis transscribendis ipsam quoque sententiam aut totam aut, quod saepius factum est, paucis mutatis mutuabantur [1]). Quod nemo dubitabit quin praecipue factum fuerit in carminibus sepulcralibus componendis, quae et metri et formae finibus includuntur angustioribus.

Hanc ob rem, cum in *carminibus* sepulcralibus versatura sit inquisitio nostra, caute agendum videtur, ne minus recte concludamus. Carmina exempli gratia cum carminibus comparare licebit, ut carminis forma principalis constituatur, quae sola documento esse potest [2]). Carmina igitur certiores non semper nos faciunt de iis, quae sentirent qui inscri-

---

1) Exempla affert Bruno Lier (Topica carminum sepulcralium latinorum. Dissertatio inauguralis Universitatis Gryphiensis. Tubingae 1902. Ex officina H. Laupp. jr. Tota commentatio edita est in Philologo LXII et LXIII) pgg. 6 et 7, quibus haec addere liceat:
Bch. 398.2 = Bch. 503.2: quae caruit luce et tenebris se miscuit atris.
cf. Bch. 516.7: luce privata (quiescit).
Bch. 496.1, 1269.3, 1822.4: hic (haec) iaceo (iacet) in tenebris.
cf. Bch. 1084.5: nunc moror in tenebris deserta luce coacta.

Quibus optime illustratur, quo modo totum versum aut singulas sententias mutuati sint, qui haec carmina composuerunt. Egregia exempla praeterea sunt: Bch. 945.1 et 2 = 946.1 et 2; 947, 948. Bch. 474 = 475 = 476. Bch. 592 = 593 = 594. Bch. 555.2 = 556.2. Bch. 635.2 = 636.3. Bch. 999 = 1000 (perpaucis mutatis inscripta sunt). Bch. 1008.1 = 1009.3. Bch. 385.4 = 814 = 1105.2. Bch. 1179 = 1180 = 1181 = 1182. Bch. 1144.5 = 1145.6 = 1146.3. Bch. 1470 = 1471 = 1472 = 1473 = 1539 = 1540 = 1541 = 1542. Bch. 1490 = 1542 = 1543. Bch. 1086 = 1087 = 1088.

(Siglo Bch. indicabitur: Anthologia Latina sive Poësis Latinae supplementum, edd. Franciscus Buecheler et Alexander Riese. Pars posterior: Carmina epigraphica conlegit Franciscus Buecheler. fasciculi II. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri 1895).

Cagnati sententiam (Revue de philologie XIII 51 sqq), qui lapicidas exemplaria habuisse putat ex quibus titulorum sententias haurirent, recte refutat B. Lier (l. l. p. 7 sqq). Quae sententia si vera esset, et carmina incondita et sermonis metrique vitia tam multa vix intellegerentur. cf. Plessis l. l. p. XVI sqq. qui Cagnati sententiam non reprobat, quamquam dicit p. XIX: „Sans doute il est un peu décevant de penser que d'honnêtes „commerçants tenaient ainsi boutique de regrets versifiés à tous les prix „et pour toutes les bourses et vendaient à la douleur magnifique ou par„cimonieuse des parents ces fragments d'élégie appropriés aux circonstances. „Du moins cette idée nous invite-t-elle à la prudence." et p. XX: „Si les „manuels ont jamais existé"... et quae seq.

2) cf. Plessis l. l. p. XXIV.

benda curaverunt; hoc solum ex iis efficitur, quae et quot diversis temporibus fuerint hominum sententiae.

At hoc mihi videtur constare, quae de inferis ac condicione mortuorum apud eos degentium divulgata erant, vulgus plerumque retinuisse deditumque fuisse iis omnibus, quae poëtae imprimis et fingebant et tradebant [1]); ad quae confirmanda quantum valuerit Vergilii Aeneidos liber sextus unicuique notum est. Negat quidem Cicero Tusc. disp. 1. 21. 48 scribens: „quae est anus tam delira, quae timeat „ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, time„retis, Acherusia templa alta Orci, pallida Leti, obnubila „tenebris loca?" et Seneca Epist. mor. 3. 3 (24.18): „nemo „tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem „habitum nudis ossibus cohaerentium." Sed hac in re iis vix fides est habenda; parvus enim est numerus carminum eorum monumentis vulgi inscriptorum, quae talia negant.

Lucretius [2]) quidem, Lucianus [3]), alii eos conviciis consectantur stultissimosque dicunt, qui rerum divinarum fidem non aspernantur; qui autem cur indignarentur non video, nisi inveterata et late dispersa esset vetus et deorum et rerum post mortem futurarum opinio.

Inde a primo saeculo ante Christum natum multi sane fuerunt homines, qui deos esse inque morte quicquam remanere aut negarent aut dubitarent, sed ne eorum quidem numerus videtur tantus fuisse quantum coniecerunt olim

---

1) cf. Seneca ad Marciam de consol. 19. 4: Cogita — illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse, nullas imminere mortuis tenebras nec carcerem nec flumina igne flagrantia nec oblivionis amnem nec tribunalia et reos et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. luserunt ista poëtae et vanis nos agitavere terroribus. Lucret. 1. 103.

2) cf. Friedländer Sittengeschichte Roms III[6] p. 511.

3) cf. Friedländer l. l. p. 522: „Und nur eine weite Verbreitung eines „blinden Glaubens und kindischer Superstition konnte die religionsfeind„liche Schriftstellerei eines Lucian ins Leben rufen, deren unermüdliche, „immer wiederholte Angriffe doch gewisz nicht für ein Fechten mit Schat„ten gehalten werden können." J. Woltjer. Lucretii philosophia cum fontibus comparata (Groningae 1877), pag. 6.

viri docti[1]); quos nescio qua iudicandi levitate ductos litteras tantum examinavisse, monumenta autem neglexisse putandum est. At optime docet Friedländer (quae ad nostram quoque rem pertinent): „Für die Erkenntniss der „religiösen Zustände der antiken Welt in den ersten nach-„christlichen Jahrhunderten besitzen wir zwei Quellen von „sehr verschiedener, vielfach sogar entgegengesetzter Be-„schaffenheit; die eine in der Litteratur, die andere in „den Denkmälern, namentlich Inschriftsteinen. Die Litte-„ratur ist vorwiegend aus Kreisen hervorgegangen, die „theils von Unglauben und Indifferenz ergriffen waren, „theils durch Reflexion und Deutung den Volksglauben „zu vergeistigen, zu läutern und umzugestalten strebten" et deinde: „aus den Denkmälern (weht uns) ein Geist des „Glaubens an, der allen zerstörenden Einflüssen Jahrhun-„derte lang Widerstand zu leisten vermochte"[2]).

Res igitur ita se habere videtur: monumentorum pars maior et litterae, si diligenter limantur, vulgi opinionem deorum[3]) et rerum post mortem futurarum mutatam quidem, nunquam fere diminutam esse docent; viri autem doctiores philosophorum nonnullorum inventis imbuti multi a vetere doctrina alienati sunt; iis autem temporibus, quibus Christianorum doctrina divulgari coepta erat, eruditi quoque propensiores fuerunt ad rerum divinarum fidem. Quod ita intellegatur velim, ut non omnia probarent, quae post mortem esse vulgus credebat, sed ut immortalitatem minime improbarent.

Jam quaeritur, quibus fontibus usi sint ii, qui carmina sepulcralia ipsi composuerunt; eos enim omnes divino quodam spiritu inflatos fudisse versus non est veri simile,

---

1) cf. Friedländer l. l. pgg. 512, 520. Gaston Boissier. La religion Romaine d'Auguste aux Antonins (1874) I 67 sqq. Lucret. III 48—59. Juven. 6. 432.

2) cf. Friedländer l. l. p. 509 (Der Götterglaube) et huius libri cap. I pars I.

3) cf. Acta Apost. 14, 11—18.

neque doctiores homines periti semper sunt, qui cogitata sua versibus proferant. Iure igitur in eorum fontes inquiritur.

Kaibelus in Hermae vol. XXXV p. 567 sqq. Romanorum titulorum sepulcralium partem et re et forma e Graecis exemplis haustam esse iam ostendit; quod probans in disputationis praefatione Bruno Lier exemplisque illustrans, ita concludit: „Ac primarius titulorum latinorum fons fuerunt Graecorum tituli et epigrammata sepulcralia" [1]).

Hoc partim verum arbitratus, in investigando quae de mortuorum condicione doceant carmina sepulcralia latina, semper contuli epigrammata graeca, imprimis ea, quae collegit Kaibelus [2]) et quae in Anthologiae Graecae libro septimo collata sunt [3]), qua collatione latinorum et graecorum carminum apparebit, Romanos sine ullo dubio sepulcralium carminum et formam et rem a Graecis saepe mutuatos esse [4]).

---

1) Rectius dicitur, si omittas vocem, quae est primarius, ita ut non sint fons primarius, sed unus ex multis variisque fontibus. Sic item nimis audacter dictum videtur, quae eadem leguntur pagina: „a nonnullis eruditis hominibus, qui graecis utebantur fontibus, titulos in defunctos compositos esse; hi monumentis incisi et in locis publicis funeribus destinatis „omnium oculis subiecti ab aliis parum eruditis transscripti sunt." unde cavendum est, ne derivetur nullum unquam Romanum eruditum, praetermissis carminibus Graecis, carmen sepulcrale composuisse aut minus eruditos semper ea transscripsisse. cf. Plessis l. l. p. XXVI adnot. 1: „Les Carmina „Epigraphica n'en restent pas moins très souvent des poèmes originaux, „et il ne serait pas plus vrai de les ramener tous à une même source que „de dire qu'ils ont tous été composés de la même manière."

2) Epigrammata Graeca ex lapidibus conlecta ed. G. Kaibel. Berolini apud G. Reimer 1878. Siglo Kb. indicabitur.

3) Anthologia Graeca epigrammatum Palatina cum Planudea ed. Hugo Stadtmueller. Vol. II pars prior Palatinae librum VII Planudeae librum III continens. Lipsiae in aedibus Teubneri 1899 (Siglum erit A. P.) cf. quae adnotavit B. Lier p. 8 adnot. 1: „Epigrammata sepulcralia Anthologiae idem „valent ac tituli lapidibus incisi; nam Anthologiae carmina partim illorum „exemplaria sunt, partim ex illis titulis imitatione expressa."

4) cf. Plessis l. l. p. XXVI adnot. 1: „Comme la littérature latine en „général, la poésie funéraire a connu l'influence grecque. Qu'ils se soient „introduits à Rome par la Grande-Grèce ou de toute autre manière, un „grand nombre de ces thèmes ont une origine nettement hellénique," et quae sequuntur.

Nec quisquam hoc mirabitur: Romani enim inde a bello cum Hannibale gesto litteris Graecis imbuti fuerunt Graecosque habuerunt magistros [1]. Quae litterae „ferum ceperunt victorem", cum ipsae perfectae essent et absolutae, Romanarum autem litterarum initia exigua et parva. Praeterea Romani, ut docuit Wissowa [2], de altera vita post mortem degenda illis temporibus pauca habebant, quae sentirent, unde facilius a Graecis talia reciperent.

Sed et alii fuerunt fontes, inter quos enumerat Bruno Lier *consolationes*, *epicedia*, *threnos*, de quibus autem copiose ita disputat, ut prorsus nihil habeam, quod addam [3].

Rem brevi comprehendam, ut quae mihi de carminum sepulcralium origine et fontibus iudicanda videantur, dicam. Concedo fuisse Romanos eosque vulgo homines doctiores, qui variis fontibus graecis usi sepulcrales titulos composuerunt (quod collatione graecorum et romanorum carminum instituta luce clarius apparet); concedo homines multos parum eruditos ea carmina monumentis insculpta aut tota transscripsisse aut nonnullos versus in suum usum convertisse, unde sua carmina conflarent (quod quam saepe factum fuerit, ostendi) [4]; nec vero dubitandum esse puto, quin fuerint multi, qui hac in re ipsi saepe luserint, ita ut aut nullis exemplis usi versus inconditos fecerint aut poëtas notissimos secuti [5] centonem qui dicitur composuerint. Porro neque hoc neglegendum videtur carmina satis multa tradita esse, quae neque metrum neque sermonem

---

1) cf. Geschichte der Römischen Litteratur von Martin Schanz [2]. Erster Teil pag. 35 § 22: Der Hellenismus in der Römischen Litteratur. Religion und Kultus der Römer von Georg Wissowa p. 54 § 12: Die Hellenisierung des Kultes. Friedländer l. l. p. 399 (Die schöne Litteratur). Algemeene Geschiedenis door Dr. H. van Gelder. Tweede deel p. 318 sqq.

2) l. l. p. 192.

3) l. l. pgg. 10 et sqq.

4) cf. huius libri p. 3 adnot. 1.

5) Poëtas suos optime vulgo nosse Romanos docuit Friedländer l. l. p. 400 sqq. (Verbreitung dieser Poesie unter den Zeitgenossen. Popularität Virgils und der übrigen classischen Dichter).

valde habent vitiata, quaeque artem sane poëticam produnt, quorum tamen exempla nusquam leguntur. Qualia carmina non impedimur, quominus ab iis condita esse arbitremur, qui quamquam divino quodam spiritu lati nulla tamen laude poëtica floruerint [1]). Fortasse cum Focillon [2]) poëtastros quoque exstitisse coniciendum erit, quorum studia superstites conducebant, ut iis potissimum et vitia multa [3]) et multos centones tribuere liceat.

Restat ut pauca dicam de temporibus, quibus carmina sunt nata. Est numerus carminum satis magnus, quae aut ipsa aut in adscriptis indicia proferant ea, unde quo tempore nata vel potius inscripta sint carmina, efficere liceat. Quae indicia magis minusve certa aut ambiguiora sunt.

Alia enim carmina, in quibus consules [4]) sive imperator [5]) nominantur, vel ipsum annum [6]) indicant; alia, militum tumulis exempli gratia inscripta, quod in iis et legio et legionis statio legitur [7]) tempus amplioribus finibus con-

---

1) cf. Plessis l. l. p. XXVIII: „elles (i. e. les inscriptions littéraires) ne „sont pas assez personnelles, pour qu'on les attribue à des poètes connus, „d'un talent original. Certains détails de facture et de composition nous „font penser qu'elles sont bien plus souvent l'œuvre d'amateurs, ou peut- „être de poètes spécialistes".

2) Henri Focillon praefationem scripsit libri laudati, qui inscribitur Epitaphes etc.

3) Lapicidarum ignorantiae imperitiaeque multa vitia tribuenda esse non nego; scripturae autem menda ea potissimum fuisse puto (cf. Bch. 479, 484, 490, 493, 494, 495, 499, 503, 505, 511, 512, 516, 517, 518, 525, 535, 541, 562, 563, 576, 601, 613, 627, 793, alia), quae ne cum sermonis vitiis confundantur (cf. Bch. 497, 512 alia) cavendum est, nisi saepe non tam vitia quam vulgaris sermonis formae inesse verius intellegantur (cf. Bch. 493 lugeam pro lugebo, 496 simile titulum [Georg. Lex. Lat. Wortf. s. v.], 498 praegnax, 548 solae pro soli, 562 dicite ut, 613 dubitamur, alia).

4) cf. Bch. 371, 422, 649, 650, 652 alia.

5) cf. Bch. 448: Mocimus Sabinae Augusti (i. e. Commodi) sororis lib. f(ecit). Bch. 427.

6) cf. etiam Bch. 517 Auziae repertum, dedicatum anno provinciae (Mauretaniae) CCXX qui est Christi 259. Simillimum Bch. 570.

7) cf. Bch. 373: praescriptum habet: T. Caecilius T. f. Gal(eria) Ausonius mil. leg. IIII.... hic situs est. Lapis prope Moguntiacum repertus est. Legio quarta autem Moguntiaci castra habebat a 43—70. Praeterea Bch. 407, 489, 520, 558, 573.

clusum significant, in aliis scripturae [1]) aut sermonis [2]) aut metri [3]) indicia inveniuntur, alia denique eius modi sunt, ut terminum ante quem sive post quem, qui dicitur, coniectura statuere liceat.

Sunt praeterea carmina quae indicia proferunt aut nulla aut tam incerta et ambigua, ut iis vix fides haberi possit.

Omnibus vero collatis apparet, carminum longe maiorem partem primo saeculo a. C. n. non antiquiorem esse, saepissime vero iis temporibus composita esse, quibus regnabant imperatores.

In carminum autem sententiis investigandis ratio si habetur temporis, quo sunt inscripta, optimum est, ut quae diversis temporibus de una alterave re senserint homines cognoscantur, et si fieri poterit, ratio habebitur.

Haec satis dicta sunto. Iam ipsam materiam colligamus, ut inde, *quae de hominum post mortem condicione doceant carmina sepulcralia*, efficiantur.

Investigabitur: I *an sit* vita post mortem.
II *quid* post mortem remaneat.
III *ubi sit* quod post mortem remanet.
IV *quo modo sit* quod post mortem remanet.

---

1) cf. Bch. 205 (litterae aevi Antoninorum), 206 (litt. antiquae et bonae), 212, 222, 237, 417, 443, 455, 460 alia.

2) cf. Bch. 213 (vox quae est meator), 361 (Ennianae aetatis formae), 362 (Lucretianae aetatis formae), 363, 364, 367, 498 alia.

3) cf. Bch. 491 (quōque more poëtarum inferiorum?).

CAPUT I

QUO INVESTIGATUR **AN SIT** VITA POST MORTEM.

PARS I

QUA AGITUR DE IIS SENTENTIIS, QUIBUS VITAM ESSE POST MORTEM NEGATUR.

---

§ 1. Non permagnum esse numerum inscriptionum earum, quae immortalitatem negent, si conferantur cum iis, quibus homines prorsus non interire dicatur, iam observavit Friedländer [1]); quod primo oculorum obtutu videtur mirum esse, si respicias et religione nulla impediri Romanos quominus hac de re liberius scriberent et satis divulgatas esse philosophorum doctrinas animi immortalitatem negantes.

Dico imprimis Epicureorum doctrinam [2]).

cf. Cic. Tusc. disp. 4. 3. 7.: „Post Amafinium autem „multi eiusdem aemuli rationis multa cum scripsissent, „*Italiam totam occupaverunt*, quodque maximum argumen„tum est non dici illa subtiliter, quod et tam facile edis„cantur et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse „disciplinae putant". Et Cic. de finibus 1. 7. 25: „Et, quod „quaeritur saepe, *cur tam multi sint Epicurei*: sunt aliae „quoque causae, sed multitudinem hoc maxime allicit, „quod ita putant ab illo dici, recta et honesta quae sint,

---

1) cf. l. l. p. 741.

2) cff. Cic. de finibus 2. 102. Lucret. 3. 832 sqq. Psyche, Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen, von Erwin Rohde II[3] p. 331 sqq. Lucianus Philopseudes c. 32 de Democrito. J. Woltjer. Lucretii philosophia cum fontibus comparata. Proemium p. 1.

„ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem" [1]).

Etiam Stoicorum ἐπιδιαμονήν [2]) quae dicitur, ad interitus cogitationem adduxisse multos veri simile est, cum hominem vel animum immortalem esse posteriores negarent. cf. Cic. Tusc. disp. 1. 32. 79: „Credamus igitur Panaetio a Platone „suo dissentienti? Quem enim omnibus locis divinum, quem „sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum phi„losophorum appellat, huius hanc unam sententiam de „immortalitate animorum non probat".

Seneca [3]) dubitanter de immortalitate dicere solet, apertius Marcus Aurelius [4]), negat Cornutus [5]).

In Consolationibus [6]) non raro negatur immortalitas; nec tamen neglegendum est nimio interdum consolandi studio adductos esse scriptores, ut talia perhiberent. cf. Senec. ad Marc. de consol. 19. 5.: „Mors nec bonum nec malum est. [7]) id enim potest aut bonum aut malum esse, quod „aliquid est. *quod vero ipsum nihil est et omnia in nihilum „redigit,* nulli nos fortunae tradit. non potest id natura „tenere, quod natura demisit, *nec potest miser esse, qui „nullus est.*" [8]).

Talia vero non multa irrepserunt in carmina sepulcralia [9]),

1) De causis quibus adducti tam multi Epicuri doctrinae favebant cf. Woltjer l.l. p. 5 sqq.

2) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 31. 77: diu mansuros aiunt animos, semper negant.

3) cf. Rohde l.l. II³ p. 328 adnot. 4.

4) μετ' οὐ πολὺ οὐδεὶς οὐδαμοῦ ἔσῃ (XII. 21).

5) Cornutus apud Stob. ecl. I. 383, 24—384, 2 W.

6) De ratione quae extat partim inter philosophos poëtasque et consolationes, partim inter consolationes et titulos Romanos optime disseruit Bruno Lier l.l. pgg. 10 et 11.

7) cf. Bch. 1497: vita bonum est et vita malum, mors neutrum habet horum.

8) A quibus prorsus diversa conferas quae leguntur in eiusdem consolationis cap. 25 et in libri ad Polybium de consolatione capite 9. 8. cf. Cic. Tusc. disp. 1. 6. 11.

9) cf. Das Privatleben der Römer von Ioachim Marquardt Pars I² p. 365 adnot. 6 i. f.: „Namentlich im 2. und 3. Jahrhundert fangen die Grab„schriften an, die Unsterblichkeit entweder zu leugnen oder zu versichern". Idem occurrit apud Graecos. Raro leguntur sententiae interitum post mortem probantes, cum in inscriptionibus quas collegit Kaibelus tum in epigrammatis Anthologiae Palatinae libro VII. cf. Eduard Loch, Zu den Griechischen Grabinschriften, in Friedländers Festschrift p. 277.

unde quid efficitur? Ut Romanorum pars maior eas philosophorum de animo doctrinas minime probarent? Id videtur consentaneum esse, quandoquidem non poëtae neque philosophi, viri docti, titulos sepulcrales conscribebant, sed „unusquisque doctus vel indoctus homo, dummodo lapicidae „conducendi opes (haberet), recordationem mortui cognati „posteritati commendaturus titulum sepulcro inscribendum „(curaret)" [1]), ita autem ut in carminibus suis conflandis cum corpore et animum prorsus evanescere plerumque praetermitterent.

Neque omni ex parte recte ita concludi apparebit, si reputaveris non omnes inscriptiones temporum iniquitatem tulisse neque omnes fortasse, qui de animi post mortem statu cum philosophis sentirent, scripsisse titulos, alios autem alios temere secutos esse in titulis conscribendis eorumque argumentis adhibendis (ut et apud nostrates fieri solet), alios denique tacuisse, quod quid de immortalitate sentirent, sibi non constaret.

Quibus omnibus perpensis restat, ut verius ita concludatur: fuisse Romanos multos, qui animum post mortem immortalem esse probarent, multos qui negarent, fieri vero non posse, ut quae inter utrosque fuerit ratio constituatur, plures autem quam in titulis eluceat fuisse qui negarent idque varias ob causas non semper esse professos.

Lego apud Buechelerum haec:

Bch. 1495: Nihil sumus et fuimus mortales. respice lector,
in nihil ab nichilo quam cito recidimus [2]).

Bch. 1493: ulterius nihil est morte neque utilius.

Bch. 214.3: nil mali est ubi nil est.

Conferantur Senec. ad Marc. de consol. 19.5 (etiam 4): quod vero ipsum nihil est et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit;

Euripid. Alc. 322: *ἀλλ' αὐτίκ' ἐν τοῖς οὐκέτ' οὖσι λέξομαι.*
381: *οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών.*

---

1) cf. Bruno Lier l. l. p. 6.

2) ubi quae de Lucretio et Ovidio adnotantur, vid.

fragm. 536: κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει.
Sophocl. Electr. 1156: τοιγὰρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος,
τὴν μηδὲν ἐς τὸ μηδέν.

Kb. 646*a* (= Dessau [1]) 8156):
ἡμεῖς δὲ πάντες οἱ κάτω τεθνηκότες
ὀστέα, τέφρα γεγόναμεν, ἄλλο δὲ οὐδὲ ἕν.
Kb. 646*b*: τοῦτο ἔσομαι γὰρ ἐγώ· σὺ δὲ τούτοις γῆν ἐπιχώσας
εἰπέ· ὅτι οὐκ ὢν ἦν τοῦτο πάλιν γέγονα.
A. P. VII 339: οὐδὲν ἐὼν γενόμην· πάλιν ἔσσομαι, ὡς πάρος, οὐδέν.

Praeterea A. P. X 118, XI 8. Theognis 567, 878. Euripid. Troad. 631. Plato Phaedo 70 A, 77 B, 80 D. Lucret. 3.459 sqq, 470, 484, 638/639, 666. Kb. 75.

Bch. 1496 (= Dessau 8166):
Olim non fuimus, nati sumus unde quieti:
nunc sumus ut fuimus, cura relicta vale.
Bch. 800 (= Dessau 8167):
non fueras, nunc es, iterum nunc desines esse.

cf. Friedländer l.l. p. 739 et adnot. 10, ubi alia eiusdem generis laudantur.

Bch. 247 (= Dessau 8162):
non fui, fui, non sum, non desidero.
vel (Dessau 8163, 8164):
non fui, fui, memini, non sum, non curo.

Quae, ut adnotat Buechelerus, tam trita fuerunt, ut primae litterae n. f. f. n. s. n. c. notando sufficerent.

Affert multa parallela Bruno Lier in disputationis parte altera § 34, disputans de iis sententiis in titulis frequentatis, quibus hominibus superstitibus solacium praebetur.

---

1) Dessau. Inscriptiones latinae selectae. Vol. II Pars II Berolini 1906 apud Weidmannos, cap. XVII: tituli sepulcrales (7818—8560).

Addo:

Bch. 1585 (= Dessau 8165):

non fueram, non sum, nescio, non ad me pertinet [1]).

cf. Kb. 1117: *οὐκ ἤμην, ἐγενόμην· ἤμην, οὐκ εἰμί· τοσαῦτα.*
εἰ δέ τις ἄλλο ἐρέει, ψεύσεται· οὐκ ἔσομαι.

Kb. 2190: *οὐκ ἤμην, ἐγενόμην· οὐκ εἰμί· οὐ μέλι μοι* [2]).

Plutarch. Cons. ad Apoll. 14: *καθάπερ τὰ πρὸ ἡμῶν οὐδὲν ἦν πρὸς ἡμᾶς, οὕτως οὐδὲ τὰ μεθ' ἡμᾶς οὐδὲν ἔσται πρὸς ἡμᾶς.* et Epicureorum illud: *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς* [3]).

Bch. 801: Quid sumus aut loquimur, vita est quid denique [nostra?
vel modo nobiscum vixit homo, nunc homo non est.
stat lapis et nomen tantum, vestigia nulla.

cf. Kb. 311: *τεσσερακαιδεκάτη δόλιχον βίοτον σταδιεύσας*
τοῦθό ποτ' ὢν γέγονα στήλλη, τύμβος, λίθος, εἰκών.

Bch. 420.5: omnia cum vita pereunt et inania fiunt.

Bch. 856.15 [4]): cetera post obitum terra consumit et ignis.

cf. Kb. 459: *πάντων δέ, φίλε, τέλος θάνατος καὶ βύθος* et illud *μετὰ ταῦτα, τί πλέον;* Demosth. de corona § 97: *πέρας ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος.* Horat. Epist. 1.16.79: mors ultima linea rerum. Senec. apud Tertull. de anima 42: post mortem omnia finiuntur.

Afferri possunt carmina alia, quibus quamvis aperte non abiciatur spes immortalitatis, nulla tamen affulgere videtur

1) cf. Bch. 1095.6: nec scio quit nunc sim nec scio quit fuerim.

2) cf. Rohde l. l. II[3] p. 395 adnot. 2. Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes, auctoritate et impensis Academiae inscriptionum et litterarum humaniorum collectae et editae (I. G. R.) Paris. Ernest Leroux. Tom. I fasc. 2 (1903) 313: *ὅστις οὐκ ἤμην καὶ ἐγενόμην, οὐκ εἰμὶ καὶ οὐ λυποῦμαι,* de qua formula cf. R. Cagnat Cours d'épigraphie latine (ed. III) p. 262.

3) cf. Rohde l. l. II[3] p. 333 et adnott. 2,5. Lucret. 3, 578 sqq.

4) cf. autem initium huius carminis, ubi de cena ferali agitur. De toto carmine cf. Bruno Schröder, Studien zu den Grabdenkmälern der römischen Kaiserzeit p. 47 in Bonner Jahrbücher, Heft 108/9, 1902.

exspectatio fore ut exacta vita hominis aliquid supersit rationis sensuumque compos. Quorum in numero unusquisque concedet haec esse habenda:

Bch. 1105: Hic sum positus qui semper sine crimine vixi.
et quem mi dederat cursum Fortuna peregit.
cuius ossua et cineres hic lapis intus habet.

Bch. 403.8: et cinis in tumulis iacet et sine nomine corpus.

Bch. 405: abstulit una dies anima corpusque simitur
arsit et in cineres iacet hic versum adque [favilla.

Bch. 409.5: sum deinde cinis de milite factus.

Bch. 1158.5: et modo quae fuerat filia, nunc cinis est.

Bch. 1205.5: hic iaceo infelix cinis et combusta favilla.

Bch. 1245.4: hic nunc sub tumulo pulvis et ossa iacet.

cf. Bch. 977, 1232, 1222, 1252, 1310, 1566. 362, 1145. 63, 67. Kb. 646, A. P. VII 728: *ἡ νῦν κόνις* et 739: (*εὐνέτις ἐν τύμβῳ θῆκεν*) *δεξαμένη σποδιήν τε καὶ ὀστέα.*

Bch. 1135: Os cineri mixtum rapido cum decidit igni
inseditque super flava favilla rogo,
pondere subiecto[1]) Thetidis componimur ossa
grata magis Terrae quam tibe (sic!), dure lapis.
id sumus, ut cernis.

Addantur

Bch. 465.20: res hominum sic sunt ut citrea poma:
aut matura cadunt aut immatura leguntur[2]).

Bch. 1170.13: fortuna invisa est, spes est frustrata parentes,
mors cuncta eripuit, dira quies hominum.

Bch. 1489: Aspice quam subito marcet quod floruit ante,
aspice quam subito quod stetit ante cadit.
nascentes morimur finisque ab origine pendet[3]).

---

1) „Sublesto" coniecit Stowasser, Lexical. Vermutungen zu Büchelers Carmina Epigraphica. Wiener Studien XXVII 2. pgg. 231—241.

2) Cf. Bch. 1490. 2. Horat. Epist. 2. 1. 36: scriptor, abhinc annos centum qui decidit.

3) „versus sumptus ex astronomicis quae Manili vocantur IV. 16." cf. Cicero: haec vita mors est.

et qui versus identidem recurrit, Bch. 608, 649, 682, 695, 732, 813, 1574[1]): apstulit atra dies et acervo funere mersit.

---

§ 2. Alia sunt carmina ea quibus sitne aliquid post mortem quidve hominis mortui supersit, nulla fit mentio[2]); quae vero docent fortunam fallacem neutiquam cruciare mortuos eosque spe inani ac falsa non amplius duci neque exspectatione torqueri[3]).

Bch. 409.8: actumst, excessi, Spes et Fortuna valete,
nil iam plus in me vobis per saecla licebit.

Bch. 500.12: contegit ossa lapis. bene habet. Fortuna valebis.

Bch. 1498: Evasi effugi. Spes et Fortuna valete,
nil mihi vobiscum est, ludificate alios.

Bch. 434.13: effugi tumidam vitam. spes, forma valete:
nil mihi vobiscum est, alios deludite quaeso[4]).

Epigramma graecum A. P. IX 49 poetae fuisse exemplum

---

1) cf. Forbiger ad Aen. 6. 429. Exempla congessit Rossius inscr. christ. R. II p. IX.

2) Quae observat ADieterich (Nekyia. Beiträge zur Erklärung der neuentdeckten Petrusapocalypse p. 136): „Früh kommt es schon vor, dass man geliebte Menschen im Hades wiederzusehen hofft, und solchen Gedanken widerspricht es durchaus nicht, wenn gesagt wird, dass der Tote nun keinen Schmerz mehr leide, nichts mehr fühle, allgemeine, natürliche Gedanken, die durchaus nicht sagen wollten, dass mit dem Tode alles aus sei." partim et hic valent. Non omnibus his carminibus significatum esse morte omnes omnino evanescere iam concedo; sententiam vero eam in qua erant multi, ut curas post mortem putarent prorsus cessare, inde persaepe originem duxisse nemo negabit. Quam ob causam talia addere liceat.

3) Fallacias fortunae ac spem homines frustrantem Romanorum et poëtae et scriptores saepissime commemorant. In titulis sepulcralibus exempla sunt haec:

Bch. 185 (= Dessau 7976): Fortuna spondet multa multis, praestat nemini.
Bch. 1092: credite mortales: astro nato nihil est sperabile datum.
Bch. 1170: fortuna invisa est, spes est frustrata parentes.
Bch. 1403 (c. Christ.): o dolor, humanis frustra spes addita rebus.
Bch. 1422: more suo ludens homines Fors perdita semper
monstratas rapuit spes properante die.

Praeterea cf. Bch. 68, 110, 422, 442, 443, 649, 1014, 1400; A. P. VII 420 (ἐλπίδες ἀνθρώπων, ἐλαφραὶ θεαί) et B. Lier l. l. pars I § 12: questus hominum ad inconstantiam pertinentes Fortunae.

4) cf. autem qui antecedunt versus duo.

iam observavit O. Jahn in ephem. archaeol. Berolin. 1861. p. 145:

Ἐλπὶς καὶ σὺ Τύχη μέγα χαίρετε, τὸν λιμέν' εὗρον·
οὐδὲν ἐμοὶ χὑμῖν, παίζετε τοὺς μετ' ἐμέ.

Quibuscum titulis horum carminum sententiam velim compares:

Bch. 1340: Munde, tuas fugio insidias, vale proditor.

Bch. 570.3: poena fuit vita, requies mihi morte parata est.

et Senec. ad Polyb. de consol. 9. 7: „In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus[1]) nisi mortis est."

---

§ 3. Aegritudine etiam curisque quibus in vita sollicitari solent et confici homines, mortuos utique liberatos esse, sepulcralibus carminibus non paucis significatur. In quibus titulis sescenties sermo est de *quiete*, qua fruuntur mortui: identidem leguntur verba qualia: quies, requies, quiescere[2]). (Bch. 1793 in praescriptis: requietorium).

Bch. 460: Hanc sedem longo placuit sacrare labori,
hanc requiem, fessos tandem qua conderet artus
Ulpius emeritis longaevi muneris annis.

Bch. 375.2 (Dessau 7977): multiplici cura defessus nunc [securus quiesco.

Bch. 514.3: Iam secura quies, nullum iam vitae periclum.

Bch. 541.12: hic ego sepultus iaceo placidusque[3]) quiesco.

Praeterea Bch. 94, 98, 137, 223, 473, 477, 497, 507, 513,

---

1) cf. Bch. 97. 13:
cum sit paratus portus eiaculantibus (id de naufragis dictum)
qui nos excipiat ad quietem perpetem.
et Cic. Tusc. disp. 1. 49. 118: portum potius paratum nobis et perfugium putemus.

2) cf. quae in carm. Christ. passim leguntur: hic requiescit in pace, requiescat in pace; et Kb. 520:
τεῦξε δὲ τόνδε τάφον φίλιος πόσις Εὔτροπος αὐτῇ
οἷ τ' αὐτῷ, μετόπισθεν ὅπως ἔχοι ἀμπαύεσθαι.

3) cf. Bch. 559, 1143: placidi manes. Tibull. (ed. L. Müller) 2.4.49: placide quiescas.

515 et passim; cf. Bch. 1567.3: otio sum perpetuo tradita. Dessau 7961: quies Claudiae Priscae, 8032 (= 8512) quieti aeternae, 8031 paci et quieti aeternae, 8151 Multis annis navigando et peregrinando hanc sede (sic!) peti (i. e. petii = petivi, cf. Georg. Lex. Lat. Wortf. s. v.), 7962 (lassa requiescit).

Mors *dolorem* mortalibus eripit[1]).

Bch. 90.4: mors me adsequetur, tunc mihi demetur dolor.
Bch. 86.2: nullum dolorem ad inferos mecum tuli.
Bch. 155: quae sibi dolorem iripuit (sic!) et matri dedit.
Bch. 513.14: Nihil doleo nec deest.
cf. Bch. 424.6:
et coniunx misera finem deposco dolori, i. e. mortem.

Nec amplius *curis* conficiuntur post mortem.

Bch. 437: Liber nunc curis fuerim qui, respice lector.
Bch. 1301.7: me nunc torquet amor, tibi tristis cura recessit,
Lethaeoque iaces condita sarcophago.

Quo verbo Lethaeo etiam indicatur in rerum oblivionem venisse mortuam.

Bch. 1580[2]):
nunc recipe me, saxe, libens; tecum cura solutus ero.
Bch. 1496.2: nunc sumus ut fuimus, cura relicta vale.
Bch. 1533.5: hic meas deposui curas omnesque labores,
(sidera non timeo hic nec nimbos nec mare saevum,
nec metuo sumptus ni quaestum vincere possit.)

Verba, ut apparet, mercatoris, qui ob quaestum faciendum multas vidit terras.

Bch. 1829.1: Liber et exuctus[3]) cura.

---

1) Contra Bch. 1305.8: durat et infixus noster dolor ad Stygis undas
a fatis raptae coniugis e thalamo.

cf. Kb. 144: *καὶ ἐν φθιμένοις μετὰ λύπης | εἰμί, λιποῦσα πόσιν κὰι τέκνα μοι φίλια* A. P. VII 278, Sophocl. Oedip. Tyr. 30, Verg. Aen. 6, 333, 444.

2) Idem apud Cholodniak 1158 (Carmina sepulcralia latina epigraphica collegit Iohannes Cholodniak. ed. altera, Petropoli 1904).

3) exuctus = exutus. cf. Bch. 748.11: cunctis exuta malis.

cf. 5: Rebus sollicitus fueras, dum vita maneret,
Adfectus curis miseris necdum memor Orchi.

In quo carmine Orchi et patris Plutonis aulae (vs. 4) mentio facta videntur nuda esse verba.

Nomine *securorum*[1]) saepius appellantur mortui.

Bch. 390: Tu secura iaces.
Bch. 488.4: hic in flore cubat longum securus in aevom.
Bch. 513.14: Nihil doleo nec deest, securus morte quiesco.
Bch. 499: Hoc tumulo, Pontiane, iaces, secure laborum.
Bch. 1106.5: ut saltem recubans in morte quiescere posset
securaque iacens ille quiete frui.
Bch. 1032.3: hic ego securis iaceo super omnibus una.

Praeterea Bch. 375, 389, 495, 529, 662, 1088, 1131, 1183, 1216, 1276, 1292, alia[2]).

Et *laborum* expertes sunt, qui supremum diem obierunt. Quae sententia e. gr. in huius carminis forma peculiari occurrit:

Bch. 225: Aeterna domus hec est,
pausum laboris hic est,
aliquid memoriae hoc est [3]).

Addantur:

Bch. 436: Iam datus est finis vitae, iam paussa malorum.
Bch. 573: qui post tantum onus, multos crebrosque labores
nunc silet et tacito contentus sede quiescit.
Bch. 1095: hic mea conposito requiescunt ossa, quiescit
et labor a puero qui mihi semper erat.
nunc labor omnis abest semper curaeque mo-
[leste (i. e. —ae)

1) cf. Friedländer l.l. p. 739 adnot. 3.

2) cf. Dessau 8026 (dis securitatis), 8027 id. 8027*a*, 8030 (securitati perpetuae), 8029 (aeternae securitati), 8149 (Strato dicit: amici, hoc at securos i. e. huc ad securos venietis), 7348.

3) cf. Plessis l.l. p. 119.

Bch. 1829: fugiens tristesque labores.

Quam sententiam mutatis verbis in his titulis scriptam legimus:

Bch. 97.5 [1]: verum vexatus animi curis anxiis,
non nullis etiam corporis doloribus,
utrumque ut esset taediosum ultra modum,
optatam mortem sum potitus. ea mihi
suo de more cuncta dat levamina.

Bch. 1274: Morborum vitia et vitae mala maxima fugi:
nunc careo poenis, pace fruor placida.

Bch. 1339.9 [2]: multorum invidiam tandem caruisse memento.

Bch. 1341.4: teque, optima mater, peto ereptum totve (?)
[malis ne doleas.

Bch. 1247: Quod superest homini, requiescunt dulciter ossa,
nec sum sollicitus ne subito esuriam, etc.

Bch. 1091: Quaerere cessavi nunquam neq. perdere desi,
mors intervenit, nunc ab utroque vaco.

Quae verba iisdem fere versibus recurrunt Bch. 1092, 1093, 1094, 1095 [3].

Antiquos et Graecos et Romanos vitae humanae miseriis variisque fortunae casibus acriter commoveri, quis est qui ignoret? Qui quae sunt vitae molestiae ac sollicitudines, aegre semper ferebant nec non querebantur deorum vel fortunae invidia fieri ut hominibus aut non daretur feliciter vivere aut brevi detraheretur.

Audi Ciceronem, virum eloquentissimum, in Tusc. disp. lib. V ita disputantem: „Quis enim potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum „semper impendet, esse non miser? Quid, si idem quod

---

1) cf. Plessis l. l. p. 112.

2) In hoc carmine ex duobus conflato mirum in modum multa confunduntur.

3) cf. Bch. 1015: Debita libertas iuveni mihi lege negata
morte immatura reddita perpetua est.
Bch. 1331.4: mors vitam vicit, ne libertatem teneres.
nunc mors perpetua(m) libertatem dedit.
Est igitur mors quae servitutis vincula solvit. cf. A. P. VII 553.

„plerumque fit, paupertatem, ignominiam, infamiam timet, „si debilitatem, caecitatem, si denique, quod non singulis „hominibus, sed potentibus populis saepe contingit, servi„tutem? potest ea timens quisquam esse beatus? Quid, qui „non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque „praesentia? adde eodem exilia, luctus, orbitates; qui rebus „his fractus aegritudine eliditur, potest tandem non miser„rimus esse?" Et haec: „Quid? elatus ille levitate inanique „laetitia exultans et temere gestiens nonne tanto miserior, „quanto sibi videtur beatior?"

Quibus verbis optime comprehenduntur, quae in animis multorum erant. Quid mirum et in carminibus sepulcralibus et apud poetas scriptoresque identidem recurrere sententiam, mortem esse bonum, utpote quae sit cum ipsius vitae terminus, tum vitae aerumnarum ac dolorum finis?

Notissima sunt Artabani apud Herodotum [1]) verba, qui cum Xerxes magno numero militum elatus fleret tamen, tot hominum recordatus vitam brevem, de rerum humanarum inconstantia admonens deterrebat ne in Graeciam proficisceretur, haec locutus: *ἐν γὰρ οὕτω βραχέι βίῳ οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, οὔτε τούτων οὔτε τῶν ἄλλων, τῷ οὐ παραστήσεται πολλάκις καὶ οὐκὶ ἅπαξ τεθνάναι βούλεσθαι μᾶλλον ἢ ζώειν. αἵ τε γὰρ συμφοραὶ προσπίπτουσαι καὶ αἱ νοῦσοι συνταράσσουσι καὶ βραχὺν ἐόντα μακρὸν δοκέειν εἶναι ποιεῦσι τὸν βίον. οὕτω ὁ μὲν θάνατος μοχθηρῆς ἐούσης τῆς ζόης καταφυγὴ αἱρετωτάτη τῷ ἀνθρώπῳ γέγονε· ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών.*

Ita inde ab antiquissimis Graecis queruntur [2]) omnes et

---

1) Herodot. 7.46.

2) cf. Solon. fragm. 14(7) apud Bergk Poetae Lyrici Graeci ed. III pars II p. 427: *Οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βρότος, ἀλλὰ πονηροί*
πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ.
et Bacchylides fragm. 3(2) apud Bergk. P. L. G.[3] pars III p. 1227:
Θνατοῖσι μὴ φῦναι φέριστον,
μηδ' ἀελίου προσιδεῖν φέγγος·
ὄλβιος δ' οὐδεὶς βροτῶν πάντα χρόνον.
praeterea Iliad. 24. 525 et Euripid. Hippolyt. 190.

mortem sibi datam esse vitae miserrimae eiusque calamitatum finem vel dicunt vel gaudent [1]). Cuius rei multa affert exempla B. Lier l. l. § 35, quibus addi haec ne molestum sit:

Theognis [2]) 425: Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·
φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας 'Αΐδαο περῆσαι,
καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.

Chilonis illud: τὸν τετελευτηκότα μακάριζε.

Apud tragicos poëtas talia inveniri multa non mirabitur, qui huius poësis generis argumenta secum reputaverit ex mortalium rebus adversis potissimum sumpta esse.

Cf. Sophocl. [3]) Electra 1170:
τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους.

Oedip. Col. 955: θανόντων οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.

Trach. 1173: τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίγνεται.

Oedip. Tyr. 1186 sqq., Aias 125, 584, Oedip. Col. 1220, 1225. Philoctet. 797.

Euripid. Heracl. 596:
τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον
νομίζεται.

fragm. 452: ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά,
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων [4]).

Troad. 631—637. fragm. 176, 830.

Aeschyl. fragm. 244 [5]):
ὦ θάνατε Παιάν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν·

---

1) cf. Rohde l. l. p. 200.

2) cf. Bergk P. L. G.³ pars II p. 512. Idem fere Sophocl. Oedip. Col. 1225 sqq.

3) Poetarum Scenicorum Graecorum fabulae superstites et perditarum fragmenta ex recensione Dindorfii, ed. V.

4) cf. Cic. Tusc. disp. 1.48.115 et Herodot. 5.4: (οἱ Γέται) τὸν ἀπογενόμενον παίζοντές τε καὶ ἡδόμενοι γῇ κρύπτουσι, ἐπιλέγοντες ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθεὶς ἐστὶ ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ.

5) Iam notavit B. Lier (Stob. 120. 12).

μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν
ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νέκρου.

Aristoph. Ranae 185 (dicit Charon:)

τίς εἰς ἀναπαύλας κακῶν καὶ πραγμάτων;

Herodot. 1.31, ubi Cleobis et Bitonis historia narratur: *διέδεξέ τε ἐν τούτοισι ὁ θεὸς ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν* [1]).

In Xenophontis Institutionis Cyri libro 8.7.27 Cyrus moriens multa de multis locutus his verbis dicendi finem facit: *Πέρσας μέντοι πάντας καὶ τοὺς συμμάχους ἐπὶ τὸ μνῆμα τοὐμὸν παρακαλεῖτε συνησθησομένους ἐμοὶ ὅτι ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη ἔσομαι, ὡς μηδὲν ἂν ἐτὶ κακὸν παθεῖν, μήτε ἢν μετὰ τοῦ θείου γένωμαι μήτε ἢν μηδὲν ἔτι ὦ*, in quibus postremis verbis, sicut in tota ubique oratione, de eo quid sit post mortem dubitanter agitur [2]). Lucianus de luctu c. 17 dolori minime indulgendum esse censet, *ἀληθέστερον* vero ita dicendum: *τέκνον ἄθλιον, οὐκέτι διψήσεις, οὐκέτι πεινήσεις οὐδὲ ῥιγώσεις. οἴχῃ μοι κακοδαίμων ἐκφυγὼν τὰς νόσους, κτλ.*

Plutarchus Moral. 4 p. 720: *λιμὴν κακῶν ὁ θάνατος* et Cons. ad Apoll. 10, 11, 13, 15, 24.

Menander rhetor p. 414.8 sqq.: *καὶ ὅτι βελτίων ἐστὶ τάχα ἡ μετάστασις τοῦ τῇδε βίου, ἀπαλλάττουσα πραγμάτων ἀδίκων, πλεονεξίας, ἀδίκου τύχης.*

Ps. Dionysius p. 30. 14: *καὶ μακάριοι φυγόντες τὰ ἀλγεινὰ τοῦ βίου καὶ τὰ πάθη συμπίπτοντα τοῖς ἀνθρώποις.*

In titulis sepulcralibus denique haec:

Kb. 649: *κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων κτλ.*

Kb. 653: (*ψυχὴ*) *ἀποπρολιποῦσα μερίμνας.* cf. Kb. 244.

A. P. VII 574: *ἔμπης ὄλβιος οὗτος, ὃς ἐν νεότητι μαρανθείς*
ἔκφυγε τὴν βιότου θᾶσσον ἀλιτροσύνην.

A. P. VII 667: *Τίπτε μάτην γοόωντες ἐμῷ παραμίμνετε τύμβῳ;*
οὐδὲν ἔχω θρήνων ἄξιον ἐν φθιμένοις.

Praeterea ibid. 603, 604, 614 et iterata haec: *ἄλυπε χαῖρε, χρηστὲ καὶ λελυπημένε, χαῖρε.*

1) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 113, 114, 115.
2) cf. l.l. cap. 7.22.

Haec exempla Graeca sufficiant, quibus demonstretur quantopere animos veterum pervaserit opinio mortem esse vitae eiusque malorum finem optatissimum. Ne sim nimius Latina tantum duo addam:

Cic. Tusc. disp. 1.8.16: quoniam post mortem nil mali est.

Epitaphium Senecae:

cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
ite, alias post hanc sollicitate animas.

Ceterum cf. B. Lier l. l. § 35.

---

§ 4. Sunt tituli, quibus dum vita suppeditat, vitae voluptatibus fruendum esse dicitur. Quorum titulorum argumentum ex Epicuri praecipue doctrina sumptum esse non videtur consentaneum. Epicuri enim quamvis et discipuli et sectatores homines essent omnium ordinum et ex iis satis multos fuisse constet, qui voluptatibus indulgerent, doctrina tamen libidines luxuriamque non commendat, utpote quae cum animi ἀταραξίᾳ quae dicitur, minime conveniant [1]). Ex eorum potius sententia sumptum esse videtur tale argumentum, qui mortem prorsus esse finem putarent aut vitae aut voluptatum saltem earum, quibus viventes quodammodo fruerentur, quique se mortuos omnibus vitae gaudiis carere dolerent [2]). Titulorum genera sunt duo, et eorum qui mortuum ita vixisse tradunt, ut animo indulgeret vitaeque voluptatibus frueretur, et eorum qui admonent superstitibus talem vitam vivendam esse.

Exempla sunt haec:

Bch. 187: Dum vixi, vixi quomodo condecet ingenuom.
quod comedi et ebibi, tantum meu est.

Idem fere

Bch. 244: quod edi bibi, mecum habeo, quod reliqui, perdidi.

1) cf. Woltjer l. l. p. 4. Inter horum titulorum scriptores me non negare et fuisse Epicureos per se intellegitur.

2) cf. Lucret. 3.912 sqq.

Bch. 484.6[1]): multa iuventutis feci quia sum moriturus.
Bch. 1259.2: qui sibi dum vixit, fecit ubique bene.
Bch. 1318: Hoc ego su (i. e. sum) in tumulo Primus [notissimus ille.
vixi Lucrinis, potabi saepe Falernum,
balnia vina Venus mecum senuere per annos[2]).

cf. etiam Bch. 57, 512 et I. G. R. fasc. II (1903) 307:

Εὐφρανθεὶς συνεχῶς, γελάσας παίξας τε τρυφήσας
καὶ ψυχὴν ἱλαρῶς πάντων τέρψας ἐν ἀοιδαῖς,
οὐδένα λυπήσας, οὐ λοίδορα ῥήματα πέμψας,
ἐνθάδε κεῖμαι.

Bch. 243: Dum vixi bibi libenter. bibite vos qui vivitis.
Bch. 76.5: Valete et bene facite vobis dum licet.

Idem fere Bch. 77.6:
vale et bene facito vitae, dum fatum venit.

cf. Bch. 141.

Bch. 85.3: ioceris, ludas hortor: hic summa est severitas.
Bch. 185.2: vive in dies et horas, nam proprium est nihil.
Bch. 189: Si quit bis (i. e. vis) facere, te bibo (i. e. vivo) [fac dulciter.
Bch. 190: Adeste amici, fruamur tempus bonum,
epulemur laeti, vita dum parva manet,
Baccho madentes, hilaris sit concordia.
eadem fecerunt hi cuncti cum viverent,
dederunt, acceperunt, dum essent, fruniti sunt. [3])
et nos antiquorum emitemur tempora.
vive dum vivis, nec quidquam denegaveris
animo indulgere, quem commodavit deus.
Bch. 1500[4]): es bibe lude veni.

---

1) cf. Plessis l. l. p. 26.

2) cf. Bch. 1499 = Dessau 8157.

3) a verbo fruniscor = fruor. cf. Georg. Lat. Lexic. et Neue, Lat. Formenlehre III[3] 570.

4) cf. Bch. 1317 quae praecedunt et Orpheus, Untersuchungen zur Griechischen, Römischen, Altchristlichen Jenseitsdichtung und Religion, von Ernst Maass. München 1895 p. 209 sqq.

Quocum conferas:

Kb. 480*a*: *ταῦτα μαθών, ξένε, πεῖνε, γέλα, κώμαζε, μυρίζου·*
κοινὰ γάρ ἐστιν βροτοῖς ταῦτα τὰ συνθέματα.

id. 362: *παῖσον, τρύφησον, ζῆσον, ἀποθανεῖν σε δεῖ.*

cf. praeterea Bch. 1567 et de avare vivendo Bch. 1106 et 1494 (Pseudophocylidea 109, 110 apud Bergk P. L. G.[3] pars II p. 466); Bch. 186, ubi duo fratres, qui concordes semper se vixisse gloriantur, haec de se ipsi dicunt: „voluptates secuti sumus omnes, vitae nostre (sic!) a nobis „numquam quitquam negatum est". Sequitur adhortatio: „ita tu qui legis, bona vita vive sodalis, quare post obitum „nec risus nec lusus nec ulla voluptas erit".

Denique haec, quae isdem fere verbis saepius recurrunt:

Bch. 485 et 486: Vivite victuri, moneo; mors omnibus instat.

Bch. 802: Vivite, felices animae, mors omnibus instat.

Idem Bch. 803, 804, 805, 806, 859, 1004, 1081, 1082, (1091), 1095, 1117; 373, 374, 447 et Bch. 1231:

qui legitis, moneo: vivite, mors properat.

Bch. 1582: et tu qui legis ecce meum titulum, moneo,
fruere tunc (= dunc, dum) vita data est. [1])

Graeca exempla afferam nonnulla:

Iam dixit Theognis 567:

Ἥβῃ τερπόμενος παίζω· δηρὸν γὰρ ἔνερθεν
γῆς ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος
ἄφθογγος κτλ.

cf. id. 983 sqq., 973 sqq., 1009, 1010, 877, 878, 725 sqq. = Solon fragm. 24.6.

Aeschyl. Pers. 840:

ὑμεῖς δὲ, πρέσβεις, χαίρετ' ἐν κακοῖς ὅμως
ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν
ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.

Crates apud Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 671 ad impugnanda haec:

εὖ εἰδώς, ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε
τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις. —

---

1) cf. Bch. 1083, 1084, 1491: vivere disce.

κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.

Menander apud Ausonium epigr. 145 (Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 676):

Re fruere ut natus mortalis; dilige sed rem
tamquam immortalis; sors in utroque verenda.[1])

A. P. VII 32: *Πολλάκι μὲν τόδ' ἄεισα, καὶ ἐκ τύμβου δὲ βοήσω·*
Πίνετε, πρὶν ταύτην ἀμφιβάλησθε κόνιν.

A. P. VII 33 quod carmen dialogi habet formam:

Πολλὰ πιὼν τέθνηκας, Ἀνάκρεον. Ἀλλὰ τρυφήσας.
καὶ σὺ δὲ μὴ πίνων ἵξεαι εἰς Ἀίδην.

cf. A. P. VII 219, 223, 325, 326.

Kb. 439: *χαίρετε, εὐφραίνεσθέ τε·*
κενῶν γὰρ ἡμεῖν τέρμα μόχθων ἡ σόρος·

„quidquid laboramus incassum facimus; mors enim omnibus „rebus finis imposita est. Itaque vivamus".

Bull. de corresp. hellénique p. 240:

Σπεύδετε, τὴν ψυχὴν εὐφραίνετε παντότε
ὡς ἡδὺς βίοτος καὶ μέτρον ἐστὶ ζοῆς.
μετὰ ταῦτα τί γὰρ πλέον;

---

§. 5. Non dubito, quin in hac libri parte enumeranda sint carmina ea, quae de morte tamquam de somno agunt. Quam similitudinem comparari constat ut indicetur omnium rerum finem esse mortem, post mortem autem nihil esse, nullum sensum, nullam vitam sui consciam[2]).

Bch. 481.3: hic iacet aeterno devinctus membra sopore.

cf. Bch. 188.2: dormiendum heic est mihi[3]).

Saepius in titulis Graecis:

Kb. 460: *ἐνθάδε γλυκὺν ὕπνον ἰαύω.*

---

1) Simillimum Luciani epigramma A. P. X 26:
ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο τῶν κτεάνων κτλ.

2) cf. Friedländer l. l. p. 738.

3) cf. Dessau 8021: sommo aeternali (vel aeterno) condederunt manes patronorum suorum. et ibid. 8022, 8023, 8024, 8194, 8217, 8231. Transiit forma in carm. Christ. Bch. 1369: Innodium leti hic sopor altus habet.

Kb. 502*a*: νήδυμον ὕπνον ἔχοντα (Adiect. etiam Kb. 101)
Kb. 202: καὶ βαθὺν ὕπνον εὕδεις.
Kb. 204: τί πένθιμον ὕπνον ἰαύεις; cf. Kb. 223, 607.
A. P. VII 29: Εὕδεις ἐν φθιμένοισιν, Ἀνάκρεον.
156: τρὶς δὲ τριηκοστὸν ζήσας ἔτος ἐνθάδ' ἰαύει.

Praeterea A. P. VII 30, 78 (ὕπνος ὀφειλόμενος. Id. 219, 419, 459), 91 (μακρὸς ὕπνος. Id. 173), 170 (βαθὺς ὕπνος. Id. 197), 390, 451 (ἱερὸς ὕπνος), 614, 703, 725 (πεπρώμενος ὕπνος), 260 (γλυκὺς ὕπνος), 305 (νήγρετον ὑπνώσας, 338). cf. 405, 408, 536.

cf. Aeschyl. Agamemn. 1451: μόλοι τὸν ἀεὶ φέρουσ' ἐν ἡμῖν Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον. et Mosch. III. 111 (Incert. idyll. I Ἐπιτάφιος Βίωνος in Bucolic. Graec. rel. rec. Ahrens p. 115): εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Catull. 5.6: nox est perpetua una dormienda. (A. P. VII 389: κοινή που νὺξ μία πάντας ἔχει). Horat. Od. 3.11.38 longus somnus, Od. 1.24.5 perpetuus sopor.

Addo haec, ubi de silentio in morto sermo est:

Bch. 512.1: Hic ego qui taceo.
Bch. 573: qui post tantum onus, multos crebrosque labores
nunc silet et tacito contentus sede quiescit.
Bch. 1589: qui post annos tandem aeterna sede receptus silet.
cf. Bch. 1109, 1174.

Comparentur:

A. P. VII 588: Δαμόχαρις μοίρης πυμάτην ὑπεδύσατο σιγήν.
ibid. 563: Σιγᾷς, Χρυσεόμαλλε, τὸ χάλκεον (sc. ὕπνον cf. Iliad. 11.241 et Verg. Aen. 10.745: ferreus somnus).
ibid. 597: κεῖται σιγαλέη.

Erinna 3 (Bgk. P. L. G.[3] pars III p. 927): σιγᾷ δ' ἐν νεκύεσσι.
Theognis 568: ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος ἄφθογγος.
Catull. 101.4: et mutam nequiquam adloquerer cinerem.
Propert. 3.5.57: sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes.
Ovid. Fasti 2.609: duc hanc ad manes. locus ille silentibus aptus.

cf. Dea Tacita vel Muta (Ovid. Fast. 2.572) apud Wissowa l.l. p. 189.

PARS II

QUA AGITUR DE IIS SENTENTIIS, QUIBUS AN SIT VITA POST MORTEM DUBITATUR.

Multae fuerunt apud Romanos opiniones et inter se diversae de animi post mortem statu [1]). Tradebant suas doctrinas de eo quod post mortem esse sibi videbatur, Epicurei et Stoici, et ut praetermittam alios, Academici et Peripatetici. Quid, quod vulgus aut metu aut superstitione obstrictum, quominus ad liberam rerum contemplationem se extolleret, incertum quid sentiret, confugiebat in portum eius philosophiae, qua maxime delectabantur quaeve mortis metu homines se liberaturam pollicebatur?

Adeo diversae autem cum essent opiniones, factum esse non potest, quin multis iniceretur dubitatio. Qui quamvis non pauci, ut conicere licet, quod sentiebant in titulis raro significaverunt; quo factum est, ut non multa sint carmina, quibus an sit vita post mortem dubitetur.

Inveniuntur haec:

Bch. 132:	Precor, si qui estis Manes, ut Trebelliae sit suaviter.
Bch. 192:	ut perferantur, si qua sunt, ad inferos.
Bch. 1057.15:	Si sunt di Manes, iam nati numen habetis.
Bch. 1190.3:	Si tamen at Manes credimus esse aliquit.
Bch. 1323:	Si modo sunt Manes, sentiant: spes vite [nostre fueras.

---

1) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 9. 18: „Sunt enim qui discessum animi a corpore „putent esse mortem; sunt qui nullum fieri censeant discessum, sed una „animum et corpus occidere, animumque in corpore extingui. Qui discedere „animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper".

Lucret. 1. 106:
ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,
an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit.

Bch. 1328.3: si sunt Manes, sit tibi terra levis.

Bch. 366.2: si quid mortui habent, hoc meum erit, cetera [liqui [1]).

Conferantur:

Cholodniak 73: si quae sunt Manes.

ibid. 84: si est aliquit in infernas partes bene esto felix et ibi, dulcissima Thalassia [2]).

A. P. VII 566 (supra scriptum legitur: *εἰς τὸ τοῦ θανάτου ἄδηλον καὶ τὸ τοῦ βίου δυστέκμαρτον*).

Γαῖα καὶ Εἰλήθυια, σὺ μὲν τέκες, ἡ δὲ καλύπτεις·
χαίρετον· ἀμφοτέραις ἤνυσα τὸ στάδιον.
εἶμι δὲ μὴ νοέων πόθι νίσομαι· οὐδὲ γὰρ ὑμέας (i. e. *ἐς ὑ.*)
ἢ τίνος ἢ τίς ἐὼν οἶδα πόθεν μετέβην.

A. P. VII 673:

Εἰ γένος εὐσεβέων ζώει μετὰ τέρμα βίοιο.

In litteris et Graecis et Latinis saepius talia leguntur. Apud Euripidem Hippolyt. 196:

δι' ἀπειροσύνην ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

Heraclid. 591:

τάδ' ἀντὶ παίδων ἐστί μοι κειμήλια
καὶ παρθενείας, εἴ τι δὴ κάτω χθονός·
εἴη γε μέντοι μηδέν· εἰ γὰρ ἕξομεν
κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν,
οὐκ οἶδ' ὅποι τις τρέψεται.

Fragm. 813 (Stobaeus 121. 12):

τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

Hyperidis *ἐπιτάφιος* (Hyper. orat. quattuor ed. Blass 1881 p. 70): *πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μέν ἐστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μὴ γενέσθαι — εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν Ἅιδου κτλ.*

---

1) Dubitanter addo Bch. 216:
ne tu fuisses, si futura tam grata
brevi reverti, unde nobis edita
nativom esset et parentibus luctu (i. e. luctui esse).

2) cf. Dessau 8201*a*: Tu qui legis et dubitas Manes esse, sponsione facta invoca nos et intelleges.

Apolog. Socrat. 29 A: τὸ γάρ τοι θάνατον δεδιέναι, ὦ ἄνδρες, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δοκεῖν σοφὸν εἶναι μὴ ὄντα· δοκεῖν γὰρ εἰδέναι ἐστίν, ἃ οὐκ οἶδεν. cf. ibidem 40 C—41 D (caput 32) et Xenoph. Instit. Cyri 8. 7. 22.

Aristot. Soph. Elench. 17 p. 176*b*. 16: πότερον φθαρτὴ ἢ ἀθάνατος ἡ ψυχὴ τῶν ζῴων, οὐ διώρισται τοῖς πολλοῖς.

Praeterea Rohde l.l. II p. 393 adnot. 3 et Dieterich Nekyia p. 136 adnot. 2.

Latina sunt haec:

Propert. (ed. L. Mueller) 3. 32. 53:

(Harum nulla solet rationem quaerere mundi)
Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas.

Ibid. 4. 4. 25: (Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores)
4. 4. 39: Sub terris si iura Deum et tormenta Gigantum,
4. 4. 42: Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
4. 4. 45: An ficta in miseras escendit fabula gentes
4. 4. 46: Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.

cf. eiusdem 1. 19. 11:

„Illic quicquid ero", ubi dubitantis est illud „quicquid ero".

Senec. Troad. chor.: verum est an timidos fabula decipit
umbras corporibus vivere conditis?

Tacit. Agricol. 46: Si quis piorum manibus locus, si ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas.

cf. Annal. 16. 34 et Senec. de tranquillitate animi 14.8.

Carmina, quae talem proferunt sententiam, qualis est: *Si sapiunt* aliquid Manes, *si quis* post funera *sensus*, alio tractabuntur loco. (cf. huius libri c. 4).

PARS III

QUA DE RELIQUORUM CARMINUM SENTENTIIS AGITUR.

---

§. 1. In reliqua carminum sepulcralium parte, quae collegit Buechelerus, hominis defuncti alteram esse vitam post mortem neque negatur neque in dubium vocatur, sed ita sunt composita, ut mortem non totius hominis esse finem statuatur.

Quaeritur, num inde concludere liceat, omnes qui talia carmina composuerint aut sepulcris inscribenda curaverint, re vera fuisse in hac sententia, ut una cum corporis dissolutione negarent animum quoque dissolvi et interire. Qua in re diiudicanda cavendum videtur, ne quid inconsulte agamus.

Qui enim immortalitatem ex animi sententia negarent aut dubitarent veri simile est liberius aperuisse quae sentirent, quam qui totam rem neglegerent nec ullius haberent momenti; eos potius consentaneum est aut omnino tacuisse aut satis divulgata inconsiderate exscripsisse. Quo fit, ut non in omnibus carminibus immortalitatem probantibus veram auctoris opinionem plane perspiciamus.

Desunt autem nobis non pauca, quae si suppeditarent, in rebus diiudicandis adhiberemus. Hoc tantum monere liceat: quam multi fuerint, qui in titulis conscribendis alios imitati sint ignoramus nec unquam eorum numerum cognoscemus. Quandoquidem et illis temporibus satis constat fuisse, qui tituli componendi rudes et quomodo, quae sentirent, verbis exprimerent incerti atque imperiti, totum titulum vel, quod plerumque videtur factum esse, sententias hinc illinc collatas alter ab altero transscriberent. Quorum tituli ad carminis auctoris sententiam cognoscendam non multum valent.

Accedit quod in uno eodemque titulo variae interdum

inter se confunduntur sententiae, quod ut paucis exemplis illustrem, affero haec:

Bch. 434. 11: nunc vero infernas sedes Acherontis ad undas
tetraque Tartarei per sidera tendo profundi.
at 15: haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.

Bch. 339. 2: aeternosque levis possidet umbra lares.
3: vita subit caelum, corpus tellure tenetur.
7: suscipe nunc, coniunx, si quis post funera sensus,
debita sacratis Manibus officia.

Bch. 1005. 3: hic erit inclusus tumulo, hic Julius ipse,
4: hic cinis et (i.e. ex) caro corpore factus erit.
9: hic ego nunc cogor Stygias transire paludes.

cf. praeterea 428, 1061, 1111, 1165, 1443. (Omitto Christiana).

Talibus igitur titulis minime habeatur fides. Multum vero eius generis carmina valent, quatenus de animi post mortem statu sententias quamvis diversas proferunt. Id tantum nobis ignotum est, quid de iis sentiret carminis auctor.

§ 2. Rara sunt carmina, quibus post mortem esse aliquid, expressis verbis commemoratur.

Invenio apud Buechelerum [1]):

Bch. 1329 (simillimum 1497):
Set quia sunt Manes, sit tibi terra levis.

et fortasse Bch. 561: Vixi festinans vivere semper.

Quibuscum conferas:

Propert. 5. 7. 1: Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit,
luridaque evictos effugit umbra rogos.

Cic. ad Attic. 10. 8. 8: Tempus est, nos de illa perpetua iam, non de exigua vita cogitare.

Pseudophocylidea 115 (Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 466):
ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.

---

1) cf. Bch. 478: aeternae animae. In carminibus Christianis, quia res ita fert, saepissime. cf. Bch. 706: censeat has (sorores sc. defunctas) nunc luce frui vitaque perenni.

Haec exempla Graeca sufficiant, quibus demonstretur quantopere animos veterum pervaserit opinio mortem esse vitae eiusque malorum finem optatissimum. Ne sim nimius Latina tantum duo addam:
Cic. Tusc. disp. 1.8.16: quoniam post mortem nil mali est.
Epitaphium Senecae:

cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
ite, alias post hanc sollicitate animas.

Ceterum cf. B. Lier l.l. § 35.

---

§ 4. Sunt tituli, quibus dum vita suppeditat, vitae voluptatibus fruendum esse dicitur. Quorum titulorum argumentum ex Epicuri praecipue doctrina sumptum esse non videtur consentaneum. Epicuri enim quamvis et discipuli et sectatores homines essent omnium ordinum et ex iis satis multos fuisse constet, qui voluptatibus indulgerent, doctrina tamen libidines luxuriamque non commendat, utpote quae cum animi ἀταραξίᾳ quae dicitur, minime conveniant [1]). Ex eorum potius sententia sumptum esse videtur tale argumentum, qui mortem prorsus esse finem putarent aut vitae aut voluptatum saltem earum, quibus viventes quodammodo fruerentur, quique se mortuos omnibus vitae gaudiis carere dolerent [2]). Titulorum genera sunt duo, et eorum qui mortuum ita vixisse tradunt, ut animo indulgeret vitaeque voluptatibus frueretur, et eorum qui admonent superstitibus talem vitam vivendam esse.

Exempla sunt haec:

Bch. 187: Dum vixi, vixi quomodo condecet ingenuom.
quod comedi et ebibi, tantum meu est.

Idem fere

Bch. 244: quod edi bibi, mecum habeo, quod reliqui, perdidi.

---

1) cf. Woltjer l.l. p. 4. Inter horum titulorum scriptores me non negare et fuisse Epicureos per se intellegitur.

2) cf. Lucret. 3.912 sqq.

Bch. 484.6[1]: multa iuventutis feci quia sum moriturus.
Bch. 1259.2: qui sibi dum vixit, fecit ubique bene.
Bch. 1318: Hoc ego su (i. e. sum) in tumulo Primus
[notissimus ille.
vixi Lucrinis, potabi saepe Falernum,
balnia vina Venus mecum senuere per annos[2]).

cf. etiam Bch. 57, 512 et I. G. R. fasc. II (1903) 307:

Εὐφρανθεὶς συνεχῶς, γελάσας παίξας τε τρυφήσας
καὶ ψυχὴν ἱλαρῶς πάντων τέρψας ἐν ἀοιδαῖς,
οὐδένα λυπήσας, οὐ λοίδορα ῥήματα πέμψας,
ἐνθάδε κεῖμαι.

Bch. 243: Dum vixi bibi libenter. bibite vos qui vivitis.
Bch. 76.5: Valete et bene facite vobis dum licet.

Idem fere Bch. 77.6:
vale et bene facito vitae, dum fatum venit.

cf. Bch. 141.

Bch. 85.3: ioceris, ludas hortor: hic summa est severitas.
Bch. 185.2: vive in dies et horas, nam proprium est nihil.
Bch. 189: Si quit bis (i. e. vis) facere, te bibo (i. e. vivo)
[fac dulciter.
Bch. 190: Adeste amici, fruamur tempus bonum,
epulemur laeti, vita dum parva manet,
Baccho madentes, hilaris sit concordia.
eadem fecerunt hi cuncti cum viverent,
dederunt, acceperunt, dum essent, fruniti sunt.[3])
et nos antiquorum emitemur tempora.
vive dum vivis, nec quidquam denegaveris
animo indulgere, quem commodavit deus.
Bch. 1500[4]): es bibe lude veni.

1) cf. Plessis l.l. p. 26.
2) cf. Bch. 1499 = Dessau 8157.
3) a verbo fruniscor = fruor. cf. Georg. Lat. Lexic. et Neue, Lat. Formenlehre III³ 570.
4) cf. Bch. 1317 quae praecedunt et Orpheus, Untersuchungen zur Griechischen, Römischen, Altchristlichen Jenseitsdichtung und Religion, von Ernst Maass. München 1895 p. 209 sqq.

Quocum conferas:

Kb. 480a: ταῦτα μαθών, ξένε, πεῖνε, γέλα, κώμαζε, μυρίζου·
κοινὰ γάρ ἐστιν βροτοῖς ταῦτα τὰ συνθέματα.

id. 362: παῖσον, τρύφησον, ζῆσον, ἀποθανεῖν σε δεῖ.

cf. praeterea Bch. 1567 et de avare vivendo Bch. 1106 et 1494 (Pseudophocylidea 109, 110 apud Bergk P. L. G.[3] pars II p. 466); Bch. 186, ubi duo fratres, qui concordes semper se vixisse gloriantur, haec de se ipsi dicunt: „voluptates secuti sumus omnes, vitae nostre (sic!) a nobis „numquam quitquam negatum est". Sequitur adhortatio: „ita tu qui legis, bona vita vive sodalis, quare post obitum „nec risus nec lusus nec ulla voluptas erit".

Denique haec, quae isdem fere verbis saepius recurrunt:

Bch. 485 et 486: Vivite victuri, moneo; mors omnibus instat.

Bch. 802: Vivite, felices animae, mors omnibus instat.

Idem Bch. 803, 804, 805, 806, 859, 1004, 1081, 1082, (1091), 1095, 1117; 373, 374, 447 et Bch. 1231:
qui legitis, moneo: vivite, mors properat.

Bch. 1582: et tu qui legis ecce meum titulum, moneo,
fruere tunc (= dunc, dum) vita data est. [1]

Graeca exempla afferam nonnulla:

Iam dixit Theognis 567:

Ἥβῃ τερπόμενος παίζω· δηρὸν γὰρ ἔνερθεν
γῆς ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος
ἄφθογγος κτλ.

cf. id. 983 sqq., 973 sqq., 1009, 1010, 877, 878, 725 sqq. = Solon fragm. 24.6.

Aeschyl. Pers. 840:

ὑμεῖς δέ, πρέσβεις, χαίρετ' ἐν κακοῖς ὅμως
ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν
ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.

Crates apud Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 671 ad impugnanda haec:

εὖ εἰδώς, ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε
τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις. —

1) cf. Bch. 1083, 1084, 1491: vivere disce.

κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.

Menander apud Ausonium epigr. 145 (Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 676):

Re fruere ut natus mortalis; dilige sed rem
tamquam immortalis; sors in utroque verenda. [1])

A. P. VII 32: *Πολλάκι μὲν τόδ' ἄεισα, καὶ ἐκ τύμβου δὲ βοήσω·*
Πίνετε, πρὶν ταύτην ἀμφιβάλησθε κόνιν.

A. P. VII 33 quod carmen dialogi habet formam:

Πολλὰ πιὼν τέθνηκας, 'Ανάκρεον. 'Αλλὰ τρυφήσας.
καὶ σὺ δὲ μὴ πίνων ἵξεαι εἰς 'Αίδην.

cf. A. P. VII 219, 223, 325, 326.

Kb. 439: *χαίρετε, εὐφραίνεσθέ τε·*
κενῶν γὰρ ἡμεῖν τέρμα μόχθων ἡ σόρος·

„quidquid laboramus incassum facimus; mors enim omnibus „rebus finis imposita est. Itaque vivamus".

Bull. de corresp. hellénique p. 240:

Σπεύδετε, τὴν ψυχὴν εὐφραίνετε παντότε
ὡς ἡδὺς βίοτος καὶ μέτρον ἐστὶ ζοῆς.
μετὰ ταῦτα τί γὰρ πλέον;

---

§. 5. Non dubito, quin in hac libri parte enumeranda sint carmina ea, quae de morte tamquam de somno agunt. Quam similitudinem comparari constat ut indicetur omnium rerum finem esse mortem, post mortem autem nihil esse, nullum sensum, nullam vitam sui consciam [2]).

Bch. 481.3: hic iacet aeterno devinctus membra sopore.
cf. Bch. 188.2: dormiendum heic est mihi [3]).

Saepius in titulis Graecis:

Kb. 460: *ἐνθάδε γλυκὺν ὕπνον ἰαύω.*

---

1) Simillimum Luciani epigramma A. P. X 26:
ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο τῶν κτεάνων κτλ.

2) cf. Friedländer l. l. p. 738.

3) cf. Dessau 8021: sommo aeternali (vel aeterno) condederunt manes patronorum suorum. et ibid. 8022, 8023, 8024, 8194, 8217, 8231. Transiit forma in carm. Christ. Bch. 1369: Innodium leti hic sopor altus habet.

Kb. 502*a*: νήδυμον ὕπνον ἔχοντα (Adiect. etiam Kb. 101)
Kb. 202: καὶ βαθὺν ὕπνον εὕδεις.
Kb. 204: τί πένθιμον ὕπνον ἰαύεις; cf. Kb. 223, 607.
A. P. VII 29: Εὕδεις ἐν φθιμένοισιν, Ἀνάκρεον.
156: τρὶς δὲ τριηκοστὸν ζήσας ἔτος ἐνθάδ' ἰαύει.

Praeterea A. P. VII 30, 78 (ὕπνος ὀφειλόμενος. Id. 219, 419, 459), 91 (μακρὸς ὕπνος. Id. 173), 170 (βαθὺς ὕπνος. Id. 197), 390, 451 (ἱερὸς ὕπνος), 614, 703, 725 (πεπρώμενος ὕπνος), 260 (γλυκὺς ὕπνος), 305 (νήγρετον ὑπνώσας, 338). cf. 405, 408, 536.

cf. Aeschyl. Agamemn. 1451: μόλοι τὸν ἀεὶ φέρουσ' ἐν ἡμῖν Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον. et Mosch. III. 111 (Incert. idyll. I Ἐπιτάφιος Βίωνος in Bucolic. Graec. rel. rec. Ahrens p. 115): εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Catull. 5.6: nox est perpetua una dormienda. (A. P. VII 389: κοινή που νὺξ μία πάντας ἔχει). Horat. Od. 3.11.38 longus somnus, Od. 1.24.5 perpetuus sopor.

Addo haec, ubi de silentio in morto sermo est:
Bch. 512.1: Hic ego qui taceo.
Bch. 573: qui post tantum onus, multos crebrosque labores
nunc silet et tacito contentus sede quiescit.
Bch. 1589: qui post annos tandem aeterna sede receptus silet.
cf. Bch. 1109, 1174.

Comparentur:
A. P. VII 588: Δαμόχαρις μοίρης πυμάτην ὑπεδύσατο σιγήν.
ibid. 563: Σιγᾷς, Χρυσεόμαλλε, τὸ χάλκεον (sc. ὕπνον cf. Iliad. 11.241 et Verg. Aen. 10.745: ferreus somnus).
ibid. 597: κεῖται σιγαλέη.

Erinna 3 (Bgk. P. L. G.[3] pars III p. 927): σιγᾷ δ' ἐν νεκύεσσι.
Theognis 568: ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος ἄφθογγος.
Catull. 101.4: et mutam nequiquam adloquerer cinerem.
Propert. 3.5.57: sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes.
Ovid. Fasti 2.609: duc hanc ad manes. locus ille silentibus aptus.

cf. Dea Tacita vel Muta (Ovid. Fast. 2.572) apud Wissowa l.l. p. 189.

PARS II

QUA AGITUR DE IIS SENTENTIIS, QUIBUS AN SIT VITA POST MORTEM DUBITATUR.

Multae fuerunt apud Romanos opiniones et inter se diversae de animi post mortem statu [1]). Tradebant suas doctrinas de eo quod post mortem esse sibi videbatur, Epicurei et Stoici, et ut praetermittam alios, Academici et Peripatetici. Quid, quod vulgus aut metu aut superstitione obstrictum, quominus ad liberam rerum contemplationem se extolleret, incertum quid sentiret, confugiebat in portum eius philosophiae, qua maxime delectabantur quaeve mortis metu homines se liberaturam pollicebatur?

Adeo diversae autem cum essent opiniones, factum esse non potest, quin multis iniceretur dubitatio. Qui quamvis non pauci, ut conicere licet, quod sentiebant in titulis raro significaverunt; quo factum est, ut non multa sint carmina, quibus an sit vita post mortem dubitetur.

Inveniuntur haec:

Bch. 132:	Precor, si qui estis Manes, ut Trebelliae sit suaviter.
Bch. 192:	ut perferantur, si qua sunt, ad inferos.
Bch. 1057.15:	Si sunt di Manes, iam nati numen habetis.
Bch. 1190.3:	Si tamen at Manes credimus esse aliquit.
Bch. 1323:	Si modo sunt Manes, sentiant: spes vite [nostre fueras.

---

1) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 9. 18: „Sunt enim qui discessum animi a corpore „putent esse mortem; sunt qui nullum fieri censeant discessum, sed una „animum et corpus occidere, animumque in corpore extingui. Qui discedere „animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper".

Lucret. 1. 106: ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,
an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit.

Bch. 1328.3: si sunt Manes, sit tibi terra levis.
Bch. 366.2: si quid mortui habent, hoc meum erit, cetera [liqui [1]).
Conferantur:
Cholodniak 73: si quae sunt Manes.
ibid. 84: si est aliquit in infernas partes bene esto felix et ibi, dulcissima Thalassia [2]).

A. P. VII 566 (supra scriptum legitur: *εἰς τὸ τοῦ θανάτου ἄδηλον καὶ τὸ τοῦ βίου δυστέκμαρτον*).

Γαῖα καὶ Εἰλήθυια, σὺ μὲν τέκες, ἡ δὲ καλύπτεις·
χαίρετον· ἀμφοτέραις ἤνυσα τὸ στάδιον.
εἶμι δὲ μὴ νοέων πόθι νίσομαι· οὐδὲ γὰρ ὑμέας (i. e. *ἐς ὑ.*)
ἢ τίνος ἢ τίς ἐὼν οἶδα πόθεν μετέβην.

A. P. VII 673:

Εἰ γένος εὐσεβέων ζώει μετὰ τέρμα βίοιο.

In litteris et Graecis et Latinis saepius talia leguntur. Apud Euripidem Hippolyt. 196:

δι' ἀπειροσύνην ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

Heraclid. 591: *τάδ' ἀντὶ παίδων ἐστί μοι κειμήλια*
καὶ παρθενείας, εἴ τι δὴ κάτω χθονός·
εἴη γε μέντοι μηδέν· εἰ γὰρ ἕξομεν
κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν,
οὐκ οἶδ' ὅποι τις τρέψεται.

Fragm. 813 (Stobaeus 121. 12):

τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

Hyperidis *ἐπιτάφιος* (Hyper. orat. quattuor ed. Blass 1881 p. 70): *πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μέν ἐστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μὴ γενέσθαι — εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν Ἅιδου κτλ.*

---

1) Dubitanter addo Bch. 216:
ne tu fuisses, si futura tam grata
brevi reverti, unde nobis edita
nativom esset et parentibus luctu (i. e. luctui esse).

2) cf. Dessau 8201*a*: Tu qui legis et dubitas Manes esse, sponsione facta invoca nos et intelleges.

Apolog. Socrat. 29 A: τὸ γάρ τοι θάνατον δεδιέναι, ὦ ἄνδρες, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δοκεῖν σοφὸν εἶναι μὴ ὄντα· δοκεῖν γὰρ εἰδέναι ἐστίν, ἃ οὐκ οἶδεν. cf. ibidem 40 C—41 D (caput 32) et Xenoph. Instit. Cyri 8. 7. 22.

Aristot. Soph. Elench. 17 p. 176*b*. 16: πότερον φθαρτὴ ἢ ἀθάνατος ἡ ψυχὴ τῶν ζῴων, οὐ διώρισται τοῖς πολλοῖς.

Praeterea Rohde l.l. II p. 393 adnot. 3 et Dieterich Nekyia p. 136 adnot. 2.

Latina sunt haec:

Propert. (ed. L. Mueller) 3. 32. 53:

(Harum nulla solet rationem quaerere mundi)
Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas.

Ibid. 4. 4. 25: (Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores)
4. 4. 39: Sub terris si iura Deum et tormenta Gigantum,
4. 4. 42: Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
4. 4. 45: An ficta in miseras escendit fabula gentes
4. 4. 46: Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.

cf. eiusdem 1. 19. 11:

„Illic quicquid ero", ubi dubitantis est illud „quicquid ero".

Senec. Troad. chor.: verum est an timidos fabula decipit
umbras corporibus vivere conditis?

Tacit. Agricol. 46: Si quis piorum manibus locus, si ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas.

cf. Annal. 16. 34 et Senec. de tranquillitate animi 14.8.

Carmina, quae talem proferunt sententiam, qualis est: *Si sapiunt* aliquid Manes, *si quis* post funera *sensus*, alio tractabuntur loco. (cf. huius libri c. 4).

PARS III

QUA DE RELIQUORUM CARMINUM SENTENTIIS AGITUR.

---

§. 1. In reliqua carminum sepulcralium parte, quae collegit Buechelerus, hominis defuncti alteram esse vitam post mortem neque negatur neque in dubium vocatur, sed ita sunt composita, ut mortem non totius hominis esse finem statuatur.

Quaeritur, num inde concludere liceat, omnes qui talia carmina composuerint aut sepulcris inscribenda curaverint, re vera fuisse in hac sententia, ut una cum corporis dissolutione negarent animum quoque dissolvi et interire. Qua in re diiudicanda cavendum videtur, ne quid inconsulte agamus.

Qui enim immortalitatem ex animi sententia negarent aut dubitarent veri simile est liberius aperuisse quae sentirent, quam qui totam rem neglegerent nec ullius haberent momenti; eos potius consentaneum est aut omnino tacuisse aut satis divulgata inconsiderate exscripsisse. Quo fit, ut non in omnibus carminibus immortalitatem probantibus veram auctoris opinionem plane perspiciamus.

Desunt autem nobis non pauca, quae si suppeditarent, in rebus diiudicandis adhiberemus. Hoc tantum monere liceat: quam multi fuerint, qui in titulis conscribendis alios imitati sint ignoramus nec unquam eorum numerum cognoscemus. Quandoquidem et illis temporibus satis constat fuisse, qui tituli componendi rudes et quomodo, quae sentirent, verbis exprimerent incerti atque imperiti, totum titulum vel, quod plerumque videtur factum esse, sententias hinc illinc collatas alter ab altero transscriberent. Quorum tituli ad carminis auctoris sententiam cognoscendam non multum valent.

Accedit quod in uno eodemque titulo variae interdum

inter se confunduntur sententiae, quod ut paucis exemplis illustrem, affero haec:

Bch. 434. 11: nunc vero infernas sedes Acherontis ad undas
tetraque Tartarei per sidera tendo profundi.
at 15: haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.

Bch. 339. 2: aeternosque levis possidet umbra lares.
3: vita subit caelum, corpus tellure tenetur.
7: suscipe nunc, coniunx, si quis post funera sensus,
debita sacratis Manibus officia.

Bch. 1005. 3: hic erit inclusus tumulo, hic Julius ipse,
4: hic cinis et (i.e. ex) caro corpore factus erit.
9: hic ego nunc cogor Stygias transire paludes.

cf. praeterea 428, 1061, 1111, 1165, 1443. (Omitto Christiana).

Talibus igitur titulis minime habeatur fides. Multum vero eius generis carmina valent, quatenus de animi post mortem statu sententias quamvis diversas proferunt. Id tantum nobis ignotum est, quid de iis sentiret carminis auctor.

§ 2. Rara sunt carmina, quibus post mortem esse aliquid, expressis verbis commemoratur.

Invenio apud Buechelerum [1]):

Bch. 1329 (simillimum 1497):
Set quia sunt Manes, sit tibi terra levis.

et fortasse Bch. 561: Vixi festinans vivere semper.

Quibuscum conferas:

Propert. 5. 7. 1: Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit,
luridaque evictos effugit umbra rogos.

Cic. ad Attic. 10. 8. 8: Tempus est, nos de illa perpetua iam, non de exigua vita cogitare.

Pseudophocylidea 115 (Bgk. P. L. G.[3] pars II p. 466):
ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.

---

1) cf. Bch. 478: aeternae animae. In carminibus Christianis, quia res ita fert, saepissime. cf. Bch. 706: censeat has (sorores sc. defunctas) nunc luce frui vitaque perenni.

Plato Phaedo 63 C.: *εὔελπίς εἰμι εἶναί τι τοῖς τετελευτηκόσιν* [1]).

Haec satis dicta sunto. Veniamus ad reliqua carmina et videamus, *quid, ubi, quo modo* esse referant, quod qualecumque vita hominis exacta supersit.

---

1) cf. Euripid. Med. 1039: *ἐς ἄλλο σχῆμ' ἀποστάντες βίου.* Simillimum Ion. 1067, Iphig. in Aul. 1508, Philiscus apud Plutarch. X oratorum vit. 3. 17. 18. cf. Cic. Tusc. disp. 1. 27. 66, Somnium Scipionis 14, Senec. ad Marc. de consol. 25. 1.

CAPUT II

QUO INVESTIGATUR **QUID REMANEAT** POST MORTEM.

---

§ 1. In hac parte disputationis meae cum inquiratur in id quod post mortem superesse Romanis visum esse appareat ex titulis sepulcralibus, iam statim laudanda sunt, quae dicit Wissowa (l.l. pgg. 191, 192): „Eine mit lebendiger „Phantasie ausgestattete Vorstellung von einem Fortleben „(und einer Vergeltung) nach dem Tode, und dem Treiben „im Schattenreiche haben die Römer nicht besessen" et porro: „was wir aber bei römischen Dichtern von der „Unterwelt (und ihren Schrecken) lesen, beruht ebenso „auf griechischen Vorbildern, wie die Darstellungen etrus„kischer Grabgemälde".

Rationem vero et eschatologiam, quae dicitur, Graeci Romanis attulerunt nullam, quippe qua et ipsi Graeci plane destituti essent. Incertae enim et dubiae cum apud Graecos tum apud Romanos omnes erant usitatae et perceptae immortalitatis cognitiones: iam inter se usque quaque confundebantur [1]).

Neque solum loca, ubi alteram vitam degere putabantur mortui, sed etiam qui habitus et quae figura esset hominis post mortem, variis modis cogitare solebant. Quid quod multi, quibus et philosophorum sententiae, parum fortasse perspicuae, ut non facile intellegerentur, minime videntur

---

1) cf. Das Jenseits im Mythos der Hellenen. Untersuchungen über antiken Jenseitsglauben von L. Radermacher. Bonn 1903 caput III: Widersprüche bei Homer, et ibi Juvenalis 7. 207.

placuisse, ipsi suam sibi fingebant opinionem? Quas autem confunderent sententias non pauci, qui erant cogitandi tenui et vi et facultate, facile saepe neque perspicitur neque demonstratur.

§. 2. Iam quaeritur, quo modo antiqui, qualis sit status hominis post mortem, acceperint; ita ut cum animo et corpus, quodammodo mutatum, vel certe corporeum quid existere putaverint, aut ita ut animum vel potius corpore vacans quid alicubi remanere existimaverint.

In litteris sive Graecis sive Latinis raro notatum legitur *animum cum corpore vel post vitam exactam coniunctum remanere.*

Notissima sunt Protei apud Homerum verba [1]), quibus Menelao vaticinatur eum non moriturum esse, sed vivum missuros esse eum deos in extremam terram, ubi in campis Elysiis victurus sit vitam sempiternam. Nullus igitur fiet animi a corpore discessus, sed animus et corpus coniuncta semper erunt. Talis narratio aliena ab iis, quae Homerus de animi (*ψυχῆς*) post mortem statu proferre solet, quamvis rara, non unica legitur nec sola. Nam de Achille quoque et de Leuca insula, in ponto Euxino sita, talia narrabantur (cf. praeterea Hesiod. *Ἔργα* 166 sqq. et Rohde l. l. II³ pgg. 369—379).

Latius divulgatum fuisse hominis post mortem *non solum exstare animum, sed etiam cum animo coniunctum corporeum quid,* inde apparet, quod in cremando vel humando mortuo una cremari mos erat et sepeliri equos arma ornamenta, omnia denique ea, quibus in vita uti solebat mortuus [2]).

---

1) cf. Hom. Od. 4. 561 sqq.:

σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν,
ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς κτλ.

cum seqq. cf. etiam ibid. 6. 43. cf. Rohde l. l. I³ pgg. 75—79.

2) cf. Od. 11. 74: *ἀλλά με κακκῆαι σὺν τεύχεσιν, ἅσσα μοι ἔστιν.* et Od. 12. 13: *αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τε κάη καὶ τεύχεα νεκροῦ.* Iliad. 6, 418. 24, 38.

Quod cum ita fieri usitatum esset multa per saecula [1]), consentaneum est antiquos putavisse etiam post mortem talibus rebus usuros esse, qui vita essent defuncti, utpote corporis habitu non prorsus destitutos.

In Odysseae libro undecimo mortui qui sunt *εἰν 'Αίδαο δόμοισιν* non idem habent corpus, quo vivi utebantur [2]); sunt *ψυχαί* [3]), *ἀμενηνὰ κάρηνα* [4]), ita tamen ut corporum habeant speciem, corpora tenuia vel umbratica, formam corporis inanem nec solidam: agnoscit eos Odysseus [5]), quem et ipsi cognoscunt [6]), ubi nigrum biberunt sanguinem in fossa collectum [7]), deinde loquuntur [8]); narrant quae sibi in vita acciderunt, quorum igitur memoriam tenent; Achillis anima *φοίτα μακρὰ βιβᾶσα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα*, irascitur Aiax, lacrimas profundunt fere omnes [9]).

Homerica ea longe lateque divulgata aut eadem aut aliis sententiis commixta apud Hesiodum, poëtas tragicos [10]) et lyricos, apud oratores quinti et quarti saeculi identidem occurrunt. In Aristophanis Ranis mortui in regno Plutonis eandem degunt vitam, qua in terra usi erant [11]).

Saepe eodem sensu *κτέρεα κτερεΐζειν*: Od. 1, 291. 2, 222. 3, 285 etc. Lucian. Philops. 27: *τόν τε κόσμον ἅπαντα συγκατακαύσας καὶ τὴν ἐσθῆτα, ᾗ ζῶσα ἔχαιρεν.* cf. Aen. 6, 220—225. Marquardt l.l. p. 345. De sumptibus et luxuria, quibus Romani modum vix adhibebant, vid. Friedländer l.l. III p. 129.

1) cf. Lucian. de luctu 14: *πόσοι γὰρ καὶ ἵππους καὶ παλλακίδας, οἱ δὲ καὶ οἰνοχόους ἐπικατέσφαξαν καὶ ἐσθῆτα καὶ τὸν ἄλλον κόσμον συγκατέφλεξαν ἢ συγκατώρυξαν ὡς χρησομένοις ἐκεῖ καὶ ἀπολαύσουσιν αὐτῶν κάτω;*

2) cf. Od. 11. 219 sqq.:

οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν,
ἀλλὰ τὰ μέν τε πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο
δαμνᾷ, ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λεύκ' ὀστέα θυμός,

cf. ibid. 207, 393. *ψυχὴ δ' ἠύτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται.*

3) cf. Od. 10. 560 et 11 passim.

4) cf. Od. 10. 521, 526; 11. 29, 49 et Lucian. Necyomant. 476: *τοὺς μὲν παλαίους — καὶ ὥς φησιν Ὅμηρος, ἀμενηνούς.*

5) cf. Od. 11. 55, 87, 387, 395.

6) cf. Od. 11. 153, 390, 471.

7) cf. Od. 11. 88, 153, 390.

8) cf. Od. 11. 59, 91, 99, 154, 404, 542. Horat. Sat. 1. 8. 29.

9) cf. Od. 11. 391, 472, 542.

10) cf. Sophocl. Oedip. R. 1371, Aias 685; Euripid. Electr. 684, Or. 675; Aeschyl. Choeph. 139, 156/157, Pers. 637.

11) cf. l.l. 756. Sic saepius: cf. Radermacher l.l. A. Antieke Nekyien.

Non alia mente erant, qui sepulcrum mortui domum habebant. Vocatur domus (Bch. 117), sedes (443), mansio (656), cubiculum (656), aedes (1255), hospitium (242), casula (1583). In sepulcro mortui habitant (588); qua opinione ducti una cum corpore vasa, supellectilem, utensilia multa ac varia humare solebant superstites, quibus rebus vel post mortem uterentur mortui[1]).

Animorum denique cultus fundamentum fuisse mortuos frui ac delectari inferiis, quae sepeliendi ritu afferebantur, unicuique notum est [2]).

Quae sufficiant, ut demonstretur antiquis temporibus cum Graecos tum Romanos in ea vulgo fuisse sententia, ut mortui qualecumque superesset, corpore non prorsus vacare putarent [3]).

Quid mirum? Fieri non potest, quin homo, quippe qui animo et corpore constet, eadem ratione sibi fingat esse statum eorum, quos post mortem consistere credat. Etenim merum existere animum corporeo habitu, quin etiam omni forma figuraque vacantem alii non facile, alii iique pars maior hominum nunquam animo complectitur [4]). Quae cum

---

Ovid. Metam. 4.443, Senec. ad Marc. de consol. 25.2, Apolog. Socrat. 41 B, Pindarus apud Plutarch. Cons. ad. Apoll. 35, Lucian Necyomant. 18. Etiam contraria: cf. Lucian. Necyomant. 17: *τοὺς παρ' ἡμῖν βασιλέας καὶ σατράπας πτωχεύοντας παρ' αὐτοῖς.*

1) cf. Marquardt l.l. p. 365: „Das Grab ist überhaupt nach der über„einstimmenden Ansicht des Altertums eine Wohnung, in welche der „Verstorbene einzieht, um dort eine andere und bessere, aber doch seinem „früheren Leben entsprechende Existenz zu beginnen; es hat daher den „Charakter eines Hauses", etc. Vid. eiusdem pag. adnot. 6.

2) cf. Mos Maiorum. Rede uitgesproken bij de overdracht van het Rectoraat der Rijksuniversiteit te Groningen, den 21en September 1903, door Dr. J. S. Speyer p. 24 sqq.

3) cf. Cic. Tusc. disp. 1.16.37: „tantum (que) valuit error, qui mihi „iam sublatus videtur, ut, corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud „inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent nec intellegi".

4) cf. Cic. Tusc. disp. 1.16.37: „animos enim per se ipsos viventis non „poterant mente complecti, formam aliquam figuramque quaerebant. Inde „Homeri tota *νέκυια*". Et haec: „Has tamen imagines (sc. mortuorum) loqui „volunt, quod fieri nec sine lingua nec sine palato nec sine faucium, „laterum, pulmonum vi et figura potest. Nihil enim animo videre poterant, „ad oculos omnia referebant". Ibid. 22.50.

ita sint, nemo mirabitur Graecorum quoque et Romanorum partem magnam mortui statum ita finxisse, ut animum remanere forma corporea vel corporis natura praeditum censerent. Num fieri possent talia et quo modo, nusquam rogabatur neque illius sententiae suae ullam fere rationem reddebant.

Exemplis nonnullis rem illustrabo:

Verg. Aen. 6. 292:

Aeneas strictam aciem umbris venientibus offert,
et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
admoneat volitare cava sub imagine formae,
inruat et frustra ferro diverberet umbras.

Umbrae igitur, sine corpore, habent tamen corporum speciem, corpora inania, sunt εἴδωλα [1]. cf. ibid. 303: subvectat corpora (sed non corpora viva [2]) cymba Charon, et 306 (= Georgica 4. 475): defuncta corpora vita.

Verg. Aen. 6.314 [3]:

(Umbrae) tendebantque manus ripae ulterioris amore.

ibid. 6. 490 sqq.:

Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
ceu quondam petiere rates, pars tollere vocem
exiguam: *inceptus clamor frustratur hiantis.*

ibid. 6. 642 sqq.:

Pars in gramineis exercent membra palaestris,
contendunt ludo et fulva luctantur harena;
pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt [4].

---

1) cf. Aen. 6. 269: (Ibant) perque domos Ditis vacuas et *inania* regna. Item Ovid. Metam. 4. 510, 11. 670 et Horat. Od. 1. 4. 17: Et domus *exilis* Plutonia (Hom. Od. 10. 512), quia umbris inanibus, vivo corpore vacantibus incoluntur.

2) cf. Aen. 6. 391: corpora viva nefas Stygia vectare carina.

3) cf. Quinctilian. Decl. 6. 11: vitam post mortem futuram vocat: ulterioris ripae stationem.

4) Conferri iubeo Pindari fragm. apud Bergk P. L. G.[3] 106. 107 (95) = Plutarch. Cons. ad Apoll. 120 C et de occulto vivendo 1130 F, Ovid. Metam. 4. 443 (antiquae imitamina vitae).

ibid. 6. 651:

Arma procul currusque virum miratur *inanis*,

i. e. tenues, speciem magis curruum prae se ferentes, quam veros currus repraesentantes, quemadmodum omnia apud inferos *εἴδωλα* tantum sunt ipsorum corporum.

Conferantur praeterea l. l. 370 (Iliad. 23. 75), 452, Georgica 4. 472 (Lucret. 4. 35) et Aen. 6. 494 de Deiphobo, quem Aeneas laniatum corpore toto videt et crudeliter mutilum. Praeterea Horat. Od. 2. 13. 24 sqq., 30. Sat. 1. 8. 28 (cf. 41), Propert. 5. 5. 2 (sentiat sitim umbra), Tusc. disp. 1, 44, 45, 46. Somnium Scipionis 14, 16. Senec. ad Polyb. de consol. 9. 8.

Lucian. Verae Historiae 2. 12: *ἐσθῆτι δὲ χρῶνται ἀραχνίοις λεπτοῖς, πορφυροῖς. αὐτοὶ δὲ σώματα μὲν οὐκ ἔχουσιν, ἀλλὰ ἀναφεῖς καὶ ἄσαρκοί εἰσι, μορφὴν δὲ καὶ ἰδέαν μόνην ἔχουσι καὶ ἐμφαίνουσι, καὶ ἀσώματοι ὄντες ὅμως συνεστᾶσι καὶ κινοῦνται καὶ φρονοῦσι καὶ φωνὴν ἀφιᾶσι, καὶ ὅλως ἔοικε γυμνή τις ἡ ψυχὴ αὐτῶν περιπολεῖν τὴν τοῦ σώματος ὁμοιότητα περικειμένη· εἰ γοῦν μὴ ἅψαιτό τις, οὐκ ἂν ἐλέγξειε μὴ εἶναι σῶμα τὸ ὁρώμενον· εἰσὶ γὰρ ὥσπερ σκιαὶ ὀρθαί, οὐ μέλαιναι.* cf. Charon. 1 [1]).

Ex Anthol. Palat. libro VII conferantur 25 (de Anacreonte), 26, 27, 96, 396 (de Eteocle et Polynice vel *ἐν Ἀχέροντι* pugnantibus), 405, 384, (686), 128, 278. Kb. 240, 325, 522, 599.

Transscribo denique A. P. VII 68 *εἰς Διογένην* (cf. 66, 67):

Ἄιδος ὦ νεκυηγέ, κεχαρμένε δάκρυσι πάντων,
ὃς βαθὺ πορθμεύεις τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ,
εἰ καί σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων
ὁλκάς, μὴ προλίπῃς Διογένη με κύνα.
ὄλπην καὶ σκίπωνα φέρω καὶ δίπλοον εἷμα
καὶ πήρην καὶ σοὶ ναυτιλίης ὀβολόν.

---

1) cf. Lucian. de luctu 18: *χρὴ λογίζεσθαι ὅτι τῶν ὀφθαλμῶν διασαπέντων ἢ καὶ καέντων οὔτε σκότος οὔτε φῶς ὁρᾶν δεησόμεθα.* Idem Dialog. Mort. 28: *τὰ ὄμματα κενά.* cf. Tibull. 1. 10. 37: illic perscissis genis ustoque capillo errat ad obscuros pallida turba lacus. Necyomant. 476. 477 (*ἅπαντες γὰρ ἀτεχνῶς ἀλλήλοις γίγνονται ὅμοιοι τῶν ὀστῶν γεγυμνωμένων*) et Ovid. Ibis 144 (ostea forma).

καὶ ζωὸς τάδε μοῦνον, ἃ καὶ νέκυς ὧδε κομίζω,
εἶχον· ὑπ' ἠελίου δ' οὔτι λέλοιπα φάει.

In titulis sepulcralibus latinis non multa sunt exempla, quibus de mortuorum corpore vel corporis specie sermo est.

Bch. 492. 11: hanc precor Elysiis iubeas consistere campis
et myrta redimire comas et tempora flore.

Bch. 1186. 16: set in secessum numinis [1]) infernae domus
oficiosus tandem ministerio laetatur suo.

Bch. 430: et solamen erit quod te iam iamque videbo,
cum vita functus iungar tis [2]) umbra figuris.

Bch. 546: saltem quod superest oro, scio namque favebis:
funde preces subolum ac votis utere nostris
ut longum vitae liceat transducere tempus.

Bch. 1098: neu fuge si tecum coeperit umbra loqui.

Saepius in Christianis titulis.

cf. Bch. 748: Adventum sponsi nunc praestolantur ovantes
veste sacra comptae, oleo durante beatae.

§ 3. In carminibus sepulcralibus, quod post mortem remanet vulgo appellatur vocabulis quae sunt: imago, species, umbra, manes, anima, animus, mens, quibus vero vocibus, ut apparebit, plerumque non indicatur, post mortem hominis solutum quid tantum exsistere et ab omni concretione corporea segregatum.

Colligam, quantum potero, carmina, e quibus earum vocum quae sint significatio et usus, apparet.

§ 4. Imago.

Opinio recepta erat, ut supra dictum est, post mortem ad inferos descendere non animum tantum, sed quasdam tenues species, ad nostri corporis effigiem fictas, quae imagines et simulacra dicebantur. Servius grammaticus ad Aen. 4. 654 (et nunc magna mei sub terras ibit imago) de

---

1) Vox supervacanea videtur. Cf. praeterea A. P. VII. 178: *σὸς ἐγώ, δέσποτα, κἢν* 'Αίδῃ. Contra Bch. 1331: nunc mors perpetuam libertatem dedit.

2) cf. Georg. Lex. Lat. Wortf. s. v. tuus.

ea re ita disseruit: „Bene *imaginem* dixit (poeta). Valde „enim quaeritur apud philosophos quid illud sit quod „inferos petat. Nam tribus constamus: anima quae superna „est et originem suam petit, corpore quod in terra deficit, „umbra quam Lucretius sic definit: spoliatus luminis (-e) „aër [1]). Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit „cum eo, nec est quidquam reliquum de homine, quod „inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simula„crum, quod ad nostri corporis effigiem fictum inferos „petit. Et est species corporea, quae non potest tangi sicut „ventus. Hinc in sexto (libro): corpora viva nefas Stygia „vectare carina". Et deinde: „Sciendum tamen abuti poetas „et confuse vel simulacrum vel umbram dicere".

Quae vox imago saepe occurrit.

cf. Aen. 6. 480: et Adrasti pallentis imago.

Aen. 2. 792, 793 = 6. 700, 701 (cf. Georg. 4. 500, 501, Hom. Od. 11. 206—208):

ter conatus ibi collo dare bracchia circum,
ter frustra comprensa manus effugit imago.
(par levibus ventis volucrique simillima somno).

Horat. Od. 1. 24. 15: non vanae redeat sanguis imagini.

Propert. 1. 19. 11: illic quicquid ero, semper tua dicar imago.

Apud Ausonium epigr. 54 vox effigies idem significat:

Effigiem, rex Croese, tuam, ditissime regum
vidit apud Manes Diogenes Cynicus.

Apud Buechelerum (in inscriptione vitiata 648):

est sub terris imago.

Graece *εἴδωλον* [2]), etiam *ἄγαλμα*. cf. Kb. 336 (= C. I. 3588):

με, κάλλος ἔχοντα,
κλώσασαι μοῖραι πέμψαν ἄγαλμ' Ἀίδῃ.

---

1) Caroli Lachmanni in T. Lucretii Cari de rerum natura libros commentarius quartum editus Berol. 1882. p. 234 ad 4. 368: Servius, scilicet e versu 377. cf. autem 4. 366, 368/369.

2) cf. A. P. VII 68. 3: *εἰ καί σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων ὁλκάς.* Pindari fragm. 108 (96) apud Bgk. P. L. G.³ I: *ζωὸν δ' ἔτι λείπεται αἰῶνος εἴδωλον.* Hom. Od. 11. 83, 213, 476, 602, (cf. 4. 796) et passim.

§ 5. Species.

Apud Romanos cum „species" de iis interdum dicatur, quae in somniis videntur [1]), fieri potest ut hac voce significaverint quoque tenuia atque inania mortuorum corpora. Ita vero interpretari dubito:

Bch. 367: haec a vobis merito data nobis praemia laetor,
quod species nostras titulo dignas esse putastis.

An species hoc versu idem est ac figura speciosa?

§ 6. Umbra.

Nomen umbrae idem fere indicat ac species et imago; aptius autem est, quo significetur forma inanis, quam multi arbitrabantur antiqui post mortem habere homines: non enim verum et solidum corpus, sed corporis tantum simulacrum habere putabantur mortui. Quo fit, ut in latinis titulis sepulcralibus et in litteris persaepe legatur.

Cum adiectivo quod est *levis* coniuncta vox invenitur apud Buechelerum in his titulis:

Bch. 394: Inplesti pia vota: peracto tempore vitae
felix Elysiis merito levis umbra moraris.

cf. Bch. 391. 5, 1339.2, 1467.4, 1844. 1 [2]).

Praeterea

Bch. 395: Secreti Manes, qui regna Acherusia Ditis
incolitis, quos parva petunt post lumina vite (sic!)
exiguus cinis et simulacrum corporis umbra.

in cuius carminis versu tertio plane perspicitur, quae ex homine vivo restent: cinis et umbra; ceterum confuse dicitur cinis petere regna Plutonis [3]).

---

1) cf. Cic. de divinatione 2. 128: quarum perturbatione mirabiles interdum exsistunt species somniorum. Livius: species et umbrae insontis interempti filii.

2) cf. Bch. 1256: et (ut?) possint nostris Bacchum miscere favillis,
floribus ut (et?) spargant saepius umbra (sic!) levem.
et sola vox levis Bch. 1582. 10: nunc levis adque meo iaceo tumulo.
cf. Cholodniak. 1133*g*: ereptus illis ad leves umbras vagor, et 1185*g*.
Horat. Od. 1. 10. 18 de Mercurio: tu virga levem coërces aurea turbam.

3) cf. Ovid. Metam. 8. 496: vos cinis exiguus gelidaeque iacebitis umbrae?
in quo eiusdem generis inest vitium aut per ζεῦγμα intellegatur versus.

Bch. 430. 7: et solamen erit quod te iam iamque videbo,
cum vita functus iungar tis umbra figuris.
Bch. 1143. 6: Elysiis campis floreat umbra tibi.
Bch. 1165. 1: Umbrarum secura quies animaeque piorum
laudatae colitis quae loca sancta Erebi.

Etiam Bch. 564, 990, 1039, 1098, 1109, 1174, 1212, 1448.

Pluralis interdum de uno homine legitur:

Bch. 1510: plaude istis, populare volgus, umbris,
si sum dignus adhuc favore vestro.
Bch. 197: Ita levis incumbat terra defuncto tibi
vel assint quieti cineribus Manes tuis,
rogo ne sepulcri umbras violare audeas.

Ceterum non prorsus constat, de uno tantum homine sepulto sermonem esse; est tamen verisimile. Item Bch. 1278.

Loca apud inferos, ubi regnant Pluto et Proserpina, vocis quae est umbra plurali numero significantur his titulis:

Bch. 399: Florus ego hic iaceo quondam bigarius infans,
qui cito dum cupio currus, cito decidi ad umbras.
Bch. 1033: sis precor infernis minus invidiosa sub umbris.
Bch. 1186: multa quidem bonitate gerens et vernula vernis
nec nimie, comvivia rapuit dum gloria vitae,
sperabam rate infernas subito delatus ad umbras.

Praeterea Bch. 611, 1147, 1208, 1214, 1219. cf. carm. Christ. Bch. 743.

Minus recte umbra videtur dicta esse de iis, quae in tumulo iacent sepulta:

Bch. 53 [1]): Rogat ut resistas, hospes, te hic tacitus lapis,
dum ostendit quod mandavit, quoius umbram tegit.
Bch. 1110: et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.

cf. Bch. 1256. 6, 1510. 3 [2]).

---

1) cf. Plessis l.l. p. 55.

2) Pauca mihi dicenda sunt de duobus titulis, in quibus vox umbra legitur.
Bch. 723: hic situs est iuvenis pietate inlustris
eclesiasque petit securus marturis umbra.
Multo autem melius videtur quod proposuit Huebnerus (Inscr. Hisp. Christ. 124):
ecclesiaeque petit s. Flavius (traditur mabiui v. mabius) umbram
quod in carmen Christianum melius quadrare nemo negabit. Nihil igitur ad rem nostram pertinet. cf. Bch. 662. 1, 684, 2.

Saepissime apud poetas Romanos haec vox scripta legitur:
Aen. 6. 264: umbrae silentes [1]), ibid. 294, 390, 4. 26, Georgica 4. 501, Aen. 5. 81, Georgica 4. 471.
Numero plurali: Aen. 6. 510.
Inferi: Aen. 6. 404, 461; 4. 660.
Leves umbrae: Tibull. 4. 1. 68.

Praeterea Propert. 5. 7. 2, Horat. Od. 2. 13. 30, Valer. Flacc. 6. 287, Stat. Theb. 3. 303, Lucan. ad Druidas Pharsal. 1. 454, Senec. Oedip. 583, Cic. de divinat. 1. 88, Ovid. Ibis 142 et passim.

Voce quae est σκιά eodem modo Graeci utebantur: Hom. Od. 10. 494 [2]):

τῷ (i. e. Τειρεσίᾳ) καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια,
οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν.

Aeschyl. Septem 988: πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά.
Sophocl. Aias 1257:

ὅς ἀνδρὸς οὐκέτ' ὄντος, ἀλλ' ἤδη σκιᾶς κτλ. Electr. 1159.

Euripid. fragm. 536:

κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ γῆ καὶ σκιά. (Bch. 395. 3)

Lucian. de luctu 9:

οἱ δὲ τοῦ μέσου βίου, πολλοὶ ὄντες οὗτοι, ἐν τῷ λειμῶνι πλανῶνται ἄνευ τῶν σωμάτων σκιαί.

---

§ 7. Manes.

„Im altrömischen Gottesdienst vereinigen sich alle Vor„stellungen von Tod und Unterwelt in dem schwankenden „Begriffe der Di Manes, d. h. der guten Götter [3]), wie sie

---

Bch. 428. 6: nunc umbra nec umbra
subter humum positus mortis tegor ecce sepulcro.
quod videtur significare: umbra sum, utpote vita functus, nec tamen quod in sepulcro conditur, umbra est, sunt tantum corporis reliquiae.

1) cf. Horat. Od. 2. 13. 29: sacrum silentium, et Matius in Iliad. 13 apud Gellium 9. 14: an maneat specii simulacrum in morte silentum. Ovid. Metam. 15. 772: sedes intrare silentum. Ceterum cf. huius libri caput I pars I § 5 i. f.

2) cf. Platon. Menon 100 A.

3) Vox Manes quid significet non constat neque facilis est eius interpretatio. Satis perspicua ratione explicatam esse nusquam video. Vulgo = boni. Cf. Walde. Latein. Etymolog. Wörterbuch: „zu mānus „gut" als die guten

„euphemistisch genannt werden, einem Namen, der nicht „bestimmte göttliche Personen kennzeichnet, sondern die „nach Zahl und Wesen unbestimmte Masse der im Toten„reiche waltenden Gottheiten, der di inferi, zusammen„fasst" [1]).

Sic Wissowa l. l. pag. 192.

Di parentum autem isdem illis temporibus nominantur umbrae maiorum, quae vel post mortem res posterorum tuentur.

De dis parentibus in titulis vix sermo est.

cf. Bch. 376.3: fas erat ut potius natus funera nobis
penderet et dignos coleret Manesque *patres*que,
si Fortuna pie servasset vota parentum.

Bch. 579, in quo carmine sermo est de monimento Manibus addicto *sacrisque priorum.*

Bch. 1216: et faciet suboles multos memorata per annos
sacra deis patribusque suis.

Bch. 207 in subscripto: dis genitoribus.

Bch. 1583 (= Dessau 7519): L. Licinius M. f. Pollia Nepos lapidem posuit supremum semoto loco diis parentibus suis [2]).

Titulorum enim pars maior cum primo saeculo a. C. n. non sit antiquior, deorum autem parentum notio eo tempore iam recesserit [3]) inque eius locum vox quae est Manes paulatim successerit, Manes vel Di Manes plerumque memorantur [4]).

Vox ipsa de natura ac figura mortuorum nihil declarat. Sed vino et cibo coli solent Manes, unde apparet natura corporis eos esse praeditos.

Manes autem, vulgo Di Manes, sunt mortui, quatenus

„Geister, allenfalls euphemistisch", et Vaniček. Etymol. Wörterbuch der Lat. Sprache [2], p. 200 (Bch. 1164. 1: Di Manes, manes sitis).

1) cf. Bch. 1262: numina nunc inferna precor. Dessau 8000: dis inferis sacrum.

2) cf. Dessau 7999 (ubi vid. adnot.): deis inferum parentum sacrum, et 8047: dis parentium et Genio Vituli fecit mater f. piissimo.

3) cf. Wissowa l. l. pgg. 187 et 192.

4) cf. huius libri capit. IIII § 8.

hominibus aut prodesse aut nocere [1]) possint; potestate divina fruuntur et magnam habent vim ad commodum vel incommodum superstitibus afferendum.

cf. Bch. 106: Manes colamus, namque opertis Manibus
divina vis est aeviterni temporis.

Bch. 1034: me potius Manes rapuissent Ditis avari.

cf. Bch. 1224. 3, 1572. 4.

Bch. 1036: di Manes, me unam retinete, ut vivere possint
quos semper colui viva libente animo.

et Bch. 197, 552, 653, 1604.

Quod iuvandi (vel nocendi) vis iis inesse putabatur, eorum auxilium *implorabatur:*

Bch. 1117: Vos, precor o Manes, sit mihi terra levis.

Bch. 1155: Optestor Manes meritae sanctaeque patronae
et comprecor ut leni terra tegat tumulo.

cf. Bch. 132, 1029, 1164, 1555 [2]).

Nec non et *colebantur*:

---

1) cf. Horat. Epod. 5. 91: Quin, ubi perire iussus exspiravero
Nocturnus occurram furor
Petamque voltus umbra curvis unguibus,
Quae vis deorum est Manium.
Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam.

Comparentur Val. Flacc. 3. 386 de necatis: patet ollis ianua leti Atque iterum remeare licet; comes una sororum Additur et pariter terras atque aequora lustrant. Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat et varia meritos formidine pulsant. Tibull. 2. 6. 37: ne tibi neglecti mittant nova somnia manes. Ovid. Ibis 139. Sueton. Calig. 59. Ammianus Marcellinus de Constant. Aug. 14. 11. Interfectorum umbris ius esse concessum homicidas ulciscendi manesque insepultos errare nocentes, impertitis autem iustis ad loca infera admissos quietem recipere suam, notissima fuit et divulgata antiquorum opinio.

2) Bch. 132: Precor, si qui estis Manes, ut Trebelliae
sit suaviter,

ambigitur, quo modo explicetur: Si qui estis Manes i.e. si aliquid Trebelliae superest, precor ut ei sit suaviter. Et hoc modo: Si Manes sunt, efficiant, precor, ut Trebelliae sit suaviter. Sed neutrum urgeo.

Bch. 1043: Te, Tellus, sanctosque precor pro coniugis (sic!) Manes
vos ite placidi, tu levis ossa tegas.

sed melior videtur Bonifacii emendatio: „vos sitis placidi", quae metro non contraria et sententiae magis accommodata est.

Bch. 215: Per haec sepulcra perque quos colis Manes
his parce tumulis ingredi pedem saepe.

Bch. 475: quod peto, si colitis Manes, cuncti meo nomini semper
hac (sic!) mihi terra leve (sic!) optetis.

Idem fere 476. cf. Dessau 8014: manium colendarum causa.

Bch. 588: iam securi suo gaudete munere Manes
Elysios per campos et dulcia prata vagantes.

cf. Bch. 106, 376, 517, 579, 592=593=594, 1009, 1216, 1255, 1339, 1592.

Manes porro est una e vocibus, quibus significantur mortui, et quidem ita ut in ea adhibenda aut praetermittatur aut non urgeatur vis eorum et potestas.

Exempla apud Buechelerum sunt haec:

Bch. 395: Secreti Manes qui regna Acherusia Ditis
incolitis.

Bch. 428: Si sapiunt aliquid post funera Manes.

Bch. 1504: (da mihi, Priape, ut)
nec gravem timeam nimis senectam,
angar haud miserae pavore mortis
quae ad domus trahet invidas Averni,
fabulas manes ubi rex coercet,
unde fata negant redire quemquam.

Praeterea Bch. 611, 702, 970, 1251, 1269, 1273, 1468, 1497, 1555.

Apud poetas aliosque scriptores quotiens ita legatur, longum est enumerare.

Laudo exempli gratia illud Propertii (5. 7. 1):

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit.

Manes, quae unius hominis post mortem remanent, etiam indicant. Omitto quod sescenties legitur: Dis Manibus sanctum, Dis Manibus illius [1]) et comparentur tantum velim:

---

1) Apud Graecos θεοῖς καταχθονίοις vel trita ea apud Kaibelum saepissime Θ. κ. (cf. D. M.). Interdum δαιμόνων ἀγαθῶν = dis Manibus. Ἀγαθὸς δαίμων qui sit, explicat Rohde l.l. I[3] p. 254 adnot. 2. De Varronis opinione, qui Lares exaequat Manibus cf. Wissowa l.l. p. 153. De Graecorum ἥρωσιν = dis Manibus in alio capite sermo erit. Rarum, quod legitur Dessau 8017: dis deabus Manibus.

Bch. 653: Cara pia coniux Yguia deditaque marito,
funeris tui causa tota nos mente dolemus.
sanctique tui manes nobis petentibus adsint.

Bch. 611: Hoc Anulinae mei memorantur carmine Manes.

Bch. 1143: molliter ad matrem placidi descendite manes,
Elysiis campis floreat umbra tibi.

Praeterea Bch. 559, 1043 (coniugis Manes), 1155 (Manes patronae), 1198 (manes meos), 1791 (Manes Pontiae Dionysiae), 1223, 1139, 1223 (sed potius optes mihi quetos Manes i.e. optes ut Manes mei quiescant); Dessau 8190: queror aput Manes eius.

cf. Aen. 3. 303: Libabat cineri Andromache Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

pro: Hectoris Manes vocabat ad tumulum.

Livius 3. 58. 11, 21. 10. 3 et passim.

Latius denique patet vocabulum, quod est Manes, cum significat: *loca inferna.*

Bch. 569: non tamen ad Manes, sed caeli ad sidera pergis.

Bch. 1318: set tamen ad Manes foenix me serbat (b = v) in ara
qui mecum properat se reparare sibi.

Bch. 1324: sed quod aput Manes sensus valet, impraeco illae
ereptaeque animae, sit quoq. terra levis.

Bch. 1292: Dulcis aput Manes Zoe benedicta moraris.

et Bch. 972, 1190, 1200, 1535. cf. Ovid. Fast. 2. 609, Verg. Aen. 4. 387, Georg. 1. 243.

vel *mortem.*

Bch. 1485: Si fortuna suos potuisset flectere manes,
hunc titulum patri ponere debueram.

Bch. 1550: Hunc titulum natae genetrix decepta paravi
post teneros manes et acerbae funera mortis.
(= post mortem tenerae)

Bch. 1112: excipiet Manes, sua qui sine lite reliquit.
(i. e. mortem tranquillam).

vel *corporis reliquias.*

Bch. 1159 (= Dessau 8524): Ummidiae manes tumulus tegit.

(De umbra quae tegitur, apud Bch. c. 53 sermo est.)

cf. Dessau 8021:

Somno aeternali condederunt manes patronorum suorum.

Plin. epist. 7. 27. 11:

Domus postea rite conditis manibus caruit.

Propert. 3. 5. 16:

Accipiat manes parvula testa meos. (quamquam de cinere minus accurate dictum est).

Quin etiam ipsum *sepulcrum* in hoc titulo videtur indicari: Bch. 641: Rupe cava manes feci nunc coniugi Paulle.

---

§ 8. Anima, animus.

Vocabula quae sunt anima et animus ita inter se distincta sunt, ut sit animus in homine principium sentiendi et cupiendi, animal efficiens rationale, anima contra principium vivendi et vis ac natura animalis [1]). Quae vero distinctio non adhibetur, quotiens pars hominis indicatur ea, quae post mortem non evanescit.

Monendum tamen est animam primarium obtinuisse locum, et quidem ita ut post mortem aethera petere existimaretur [2]), unde originem duceret [3]). Aether autem cum caelo [4]), quin etiam cum Olympo confundebatur, quod multi religionis et philosophorum doctrinarum confusione ducti animam putabant sedem deorum petere. Postremo res eo deducta est, ut animam ad inferos migrare putarent, id quod e poetis apparet, qui vocibus quae sunt anima umbra manes, nullo inter se discrimine uti solebant.

Vergilius exempli gratia ad rem tam difficilem se accingens qualis est inferorum descriptio, auxilium implorat deorum inferorum his verbis (Aen. 6. 264):

---

1) Horat. Od. 3. 9. 12: Si parcent animae fata superstiti, ubi animae = vitae.

2) Verisimile est talem opinionem ex philosophorum, Stoicorum imprimis, praeceptis ortam esse, de quibus copiosius infra disputabimus (cf. huius libri capit. III § 4).

3) cf. Serv. ad Aen. 4. 654: anima quae superna est et originem suam petit.

4) cf. hoc scholion interpretis antiqui apud AMaium (Forbiger ad Aen. 5. 80): In tria hominem dividit: animam, quae in caelum abit, umbram quae ad inferos, corpus quod traditur sepulturae.

Di quibus imperium est animarum umbraeque silentes
et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui.

cf. praeterea Tibull. 3. 2. 15:

praefatae ante meos manes animamque precatae.

Propert. 4. 17. 31:

At tibi, nauta, pias hominum qui traicis umbras,
huc animae portent corpus inane tuae.

Ovid. Metam. 8. 488:

Vos modo, fraterni manes animaeque recentes.

Horat. Od. 1. 10. 17:

Tu pias laetis animas reponis Sedibus. (cf. Sat. 1. 8. 29).

Contra apud Ciceronem animus vulgo legitur; qui vero animus in caelo vel ἐν μετεώροις post mortem versari habetur. cf. Tusc. disp. 1. 16. 36: „Sed ut deos esse natura opinamur, „qualesque sint ratione cognoscimus, sic permanere *animos* „arbitramur consensu nationum omnium, qua in sede mane„ant qualesque sint, ratione discendum est". Ibid. 17. 40: „Quae cum constent, perspicuum debet esse *animos*, cum „e corpore excesserint, sive illi sint animales, id est spira„biles [1]), sive ignei, *sublime ferri*" [2]). Praeterea Ibid. 18, 47, 50, 60, 65, 72. Somnium Scip. 17, 26. Cato maior 66. 78. De divinat. 1. 63.

Apud Senecam utrumque lego, animum et animam. Cf. ad Helv. matr. de consol. 20. 1: animus omnis occupationis expers. ad Marc. de consol. 25. 1: inter felices currit animas.

In titulis sepulcralibus *anima* plerumque legitur.

Bch. 1600: Qui quondam ad superos Mossius Philoxenus,
nunc tenuis anima.

---

1) cf. Cic. de nat. deor. 3. 36: „Probabilius autem videtur tale quiddam esse animum, ut sit ex igni et anima temperatum" (Tusc. disp. 1. 25. 60).

2) cf. Tusc. disp. 1. 19. 43: „accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc „aëre", sqq. et ibid. 20. 45: „quod tandem spectaculum fore putamus, cum „totam terram contueri licebit eiusque cum situm, formam, circumscrip„tionem, tum et habitabiles regiones et rursum omni cultu propter vim „frigoris aut caloris vacantis?" Somnium Scip. 15. Senec. ad Helv. matr. de consol. 20. 2, ad Marc. de consol. 25. 1.

Bch. 975: corpore consumpto viva anima deus sum.

Vulgo sublimia petere anima dicitur, aut *aethera* (aëra):

Bch. 1206: corpus habet cineres, animam sacer abstulit aër [1]).

Bch. 1207: terra tenet corpus, nomen lapis atque animam aër [2]).

aut *caelum*:

Bch. 1559: anima caelo reddita est [3]).

aut *astra*:

Bch. 611: sed mea divina non est itura sub umbras
caelestis anima. mundus me sumpsit et astra,
corpus habet tellus et saxum nomen inane [4]).
(cf. Bch. 1207).

Bch. 1420: astra tenent animam, caetera tellus habet.

aut *superos*:

Bch. 1366: Exacto vitae transcendit ad aethera cursu
Terrenum tumulo dans, animam superis.

Praeterea Bch. 1257. cf. Bch. 603: animam lux alma recepit [5]).

Aliis autem in titulis anima apud inferos vel in tumulo versari putatur.

Bch. 1165: Umbrarum secura quies animaeque piorum
laudatae colitis quae loca sancta Erebi.

Bch. 1324: sed quod aput Manes sensus valet, impraeco illae
ereptaeque animae, sit quoq. terra levis.

Bch. 1278: Claudius hunc vivus Stygias Rufinus ad umbras
instituit titulum, post animae requiem
qui testis vitae fati sit lege futurus.

Bch. 443: sede sub hac parva titulo parvoque tenetur
parva anima.

---

1) Cineres pro tellure, quae tali versu saepius vocatur; aër pro aethere saepius, ut notum est (cf. Bch. 1108).

2) cf. Christiana Bch. 704, 1422.

3) cf. Christiana Bch. 720, 1444; 655.

4) cf. Christiana 696, 1362, 1401, 1420 (quod carmen Christianum videtur, si ex subscriptis: requievit in pace, id statuere licet; ceterum carmen est ad instar paganorum), 1425, 1392.

5) cf. Christianum Bch. 758: Hoc tumulo Baioli conduntur membra sepulti,
sed pollens anima praeclaro manebit Olympo.

praeterea Bch. 552, 1559. cf. 143, 213, 995, 1203, 1559. 14.

Saepissime vox in titulis Christianis legitur. cf. Bch. 684 (humanae animae rursum in sua vasa redibunt), 696, 704, 708, 720, 731, 739, 743, 755, 758, 760, 777, 1362, 1401, 1420, 1423, 1435, 1442, 1443, 1444, 1837.

Animus legitur
apud Bch. 655:

Urna Valentinum haud totum tegit haec: habet eius
celum animum, acta orbis; pars ergo minor manet istic.

Et fortasse 1300. 9, si recte supplevit Buechelerus carmen valde corruptum:

divinae remanent haec viva ligamina mentis
corpore deserto quae sociant animos.

Spiritus interdum pro anima legitur quod nemo mirabitur, qui vocis spiritus significationem in animam facile abire secum reputaverit. Anima enim ipsa proprie est aura, quae spirando in pulmones adducitur, spiritus autem proprie est actio spirandi [1]). Promiscue igitur voces haud raro usurpantur.

Lego apud Buechelerum haec:

Bch. 1530: vivax sit spiritus ollis,
cetera composita fatorum lege trahentur.

Et Christiana

Bch. 1425: Tertius hanc urbis sedem tenuit Honoratus
antistes, cuius spiritus astra tenet.

Bch. 1392: Spiritus astra petit, corpus in urna iacet [2]).

---

1) cf. Bch. 1339: *vita* subit caelum, corpus tellure tenetur. Sic Pepli Aristotelei epigr. 62 (Bgk. P. L. G.³ II p. 659):

θυμὸν δὴ Κύκνου καὶ ὑπερφιάλους ἐπινοίας
αἰθὴρ λαμπρὸς ἔχει, σῶμα δὲ τύμβος ὅδε.

(Simillimum est epigramma Kb. 41 saec. IV.) cf. Hom. Iliad. 5. 250: *ἦτορ* = vita.

2) Transitum in animae significationem effecisse videntur talia:

Bch. 1108: quoius ut lenis patrium diffusus in aër
spiritus, hic mater corpus operta tenet.

Bch. 1604: carminibus defixa iacuit per tempora multa,
ut eius spiritus vi extorqueretur quam naturae redderetur.

(cf. Bch. 1612, 1617 et saepius), quae si quid videmus post mortem aliquid remanere negant.

cf. Cholodniak 57: cuius spiritus inter deos receptus est, et 1075*a* [1]).

Apud Graecos usitata est vox *ψυχή*, quae quatenus principium vitae animalis indicat, cum Latina anima congruit; quam autem ita se habere putabant in homine, ut in ipsa morte corpus relinqueret [2]). Inde *ψυχή* id est, quod a corpore discedens post mortem remanet, et quidem apud Homerum ita, ut non habeat corpus, sed corpoream retineat speciem. Est igitur *εἴδωλον* (Iliad. 23. 104: *ψυχὴ καὶ εἴδωλον*) et idem est ac imago, umbra (cf. § 6).

cf. A. P. VII 486: *ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο*
χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.

et Kb. in addendis 35*a*: *ψυχὴ οἴχεται εἰς ἔρεβος* [3]).

Saepissime vero *ψυχή* dicitur aethera vel caelum vel Olympum petere et hac re potissimum ab anima non discrepat.

Conferantur:

Kb. 104 (aetat. Rom.):

ἀλλὰ τὰ μὲν (sc. *ὀστέα*) *κεύθει μικρὰ κόνις ἀμφιχυθεῖσα,*
ψυχὴν δ' ἐκ μελέων οὐρανὸς εὐρὺς ἔχει [4]).

Kb. 159 corruptum (cf. 646 in add.):

ἧς μὲν σῶμ' ἐνὶ γῇ κεῖται, ψυχὴ δ' ἐν Ὀλύμπῳ (A. P. VII 362).

Kb. 225: *ψυχὴ δ' αἰθέριον κατέχει πόλον.*

---

1) cf. Dessau 8375: ita ut ad memorim (sic!) meam per singulos annos sine dubio colant spiritum meum.

2) *ψυχή* hominis est alter ego et ipsi corpori opponitur, ut in Iliad. 1. 3, 4. Relinquit autem corpus per os (Iliad. 9. 409), per vulnus (Iliad. 14. 518, 16. 505).

3) cf. Plutarch. Cons. ad Apoll. 34: *χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαί* (sc. *τῶν εὐσεβῶν*). Kb. 443: *ψυχαὶ γὰρ ζῶσιν τῶν ἄγαν εὐσεβέων* et permulta loca, ubi *ψυχή* immortalis esse dicitur: Pseudophocylidea (apud Bgk. P. L. G.³ II p. 466) 105: *ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισιν.* Ibid. 115: *ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός.* Kb. 268, 320, 502 *b*, 522, 651 (*ἀείζως*), 653, 261. Dionys. Halicarn. Rhetor. 6. 5, alia.

4) De forma primaria talium carminum (cf. Epicharmus apud Plutarch. Cons. ad Apoll. 14: *γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω*) legatur Dieterich l. l. p. 104 et adnott. 1, 2; p. 106 et adnot. 1.

Pepli Aristotelei epigr. 32:

Σῆμα τὸ μὲν Γουνῆος ὁρᾷς· ψυχὴ δὲ θανόντος
ἀέρ' ἐς ὑγρὸν ἔβη, σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

Speusippus apud Bgk. P. L. G.[3] II p. 642:

Σῶμα μὲν ἐν κόλποις κατέχει τόδε γαῖα Πλάτωνος,
ψυχὴ δ'ἰσοθέων τάξιν ἔχει μακάρων.

Praeterea Kb. 35, 90, 175 (Christ.), 243, 261, 288, 312, 315, 324, 325, 338, 516, 642, 652, 654, 646.

Aliae voces sunt:

ἦτορ. A. P. VII 672:

Χθὼν μὲν ἔχει δέμας ἐσθλὸν, ἔχει κλυτὸν οὐρανὸς ἦτορ.

Kb. 462: *μάρψασα μοῖρα σῶμα τήνδ' ὑπὸ χθόνα*
δέδωκεν, ἦτορ δ'οὐρανῷ μετάρσιον.

κέαρ. Kb. 651: *τὸ δ'ἀθάνατον*
ἐς μακάρων ἀνόρουσε κέαρ.

Simillimum Kb. 462.

πνεῦμα. Pseudophocylidea 108 (Bgk. P. L. G.[3] II p. 466):

σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, κἄπειτα πρὸς αὖ γῆν
λυόμενοι κόνις ἐσμέν· ἀὴρ δ'ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Kb. 250 (si recte suppletur):

τὰν ἁπαλὰν κεύθει μορφὰν τάφος, ἀλλ' ἀμάραντον
πνεῦμα μένει κείνας ἐς φάος ἀθάνατον.

πνοή. Kb. 156: *Γαῖα μὲν εἰς φάος ἦρε, Σιβύρτιε, γαῖα δὲ κεύθει*
σῶμα, πνοὴν δ'αἰθὴρ ἔλαβεν πάλιν, ὅσπερ ἔδωκεν.

---

§ 9. Mens.

Ea voce, quae, si animo opponitur, cogitandi vim et facultatem significat, raro indicatur id quod relicto corpore inferos aut caelum petit.

Bch. 1311 (carmen esse recens suspicati sunt nonnulli):
Vincentia ante patrem Helionem conditur

quin potius corpus: nam mens aeterna profecto
pro meritis potitur sedibus Elysiis [1]).

Saepius in Christianis titulis:

Bch. 1369: hoc tomolo cuius tantum nam membra quiescunt,
letatur patria mens, paradise, tua.

praeterea Bch. 1354, 1394, 1433. cf. 743, 755, 1424.

Apud Cholodniakum

289*a*: mens vidit astra, quies tumuli complectitur artus.

1160*a* (carmen corruptum): ossa dedi terrae....
mens tamen....

quae fortasse Christiana sunt.

---

1) cf. Bch. 1848: evolat ad superos mentis quoque gratia simplex.

CAPUT III

QUO INVESTIGATUR, **UBI SIT** QUOD POST MORTEM REMANET.

---

§ 1. Certa et perspicua ratione nihil fere sibi proposuisse antiquos eorum, quae ad mortem pertinent, supra iam dictum est, neque locorum post mortem ab defunctorum animis habitatorum perceptas ullas habuerunt sententias. Duae autem ab variis haud difficile discernuntur sententiis, quae prioribus et posterioribus temporibus in illa re partim Homeri atque Hesiodi poëtarum auctoritate, partim philosophorum nonnullorum potissimum inventis non minimam semper habebant vim, illorum quidem *sub terra* remanere animas, horum *in caelo* versari eos dictitantium.

Qui autem sub terra habitare mortuos putarent, rem ita animo informabant, ut aut animarum regnum in inferioribus terrae partibus esse fingerent aut prope sepulcra versari animas existimarent, unde cultus animarum profectus esse dicitur. Saepissime vero, ut in tali re fieri solet, mirum quantum inter se confunduntur sententiae diversae [1]).

§ 2. Antiquissimis temporibus inter Graecos potissimum fuisse, qui sedem mortuorum non sub terra, sed *supra*

---

1) Exempla vid. apud Rohdium l.l. II³ p. 366 adnot. 1 et apud Buechelerum e. gr.
Bch. 434: nunc vero infernas sedes Acherontis ad undas tetraque Tartarei per sidera tendo profundi: hic sum situs, hic ero semper.
cf. 492, 498, 1061, 1188, 1257, 525. Kb. 700: *κοῦφον ἔχοις γαίης βάρος εὐσεβίης ἐνὶ χώρῳ*. A. P. VII 41, 260, 419. Kb. 252, 259.

terram quaererent, satis constat [1]), ut iam apparet ex Odysseae libro undecimo [2]); quam sedem ad occidentem spectare vulgo putabant [3]). De ea autem re tacere licet, quod non susceperunt Romani neque eius in titulis sepulcralibus ulla habetur ratio.

Susceperunt vero Romani omnia, quae ad animarum sedem sub terra collocatam pertinent, auctoribus Graecis apud quos late erant divulgata [4]); in quibus rebus adsumendis poëtarum non parva erat auctoritas.

§ 3. Primo loco disputaturus de iis titulis, quibus sub terra remanere animae dicuntur, singulas enumerabo voces sedem eam indicantes et addam, quae ad explicandum utilia sunt [5]).

A. (*sub terra.*)

I. Loca ab animis habitata generaliter significant locu-

---

1) Copiosius de hac re L. Radermacher l. l. sub B. cf. Rohde l. l. II³ p. 369: „Dem Dichter (i. e. Homer) hatte die elysische Flur als ein Ort „auf der Oberfläche der Erde gegolten" (Od. 4. 563: *ἐς πείρατα γαίης*), et p. 370: „Auf der Oberfläche der Erde, wenn auch in fernen unentdeckten „Weiten, muss die Phantasie doch auch wieder die seligen Inseln, den „Wohnplatz bevorzugter Geister, gesucht haben, wenn sie doch den Versuch „machen konnte, den Weg dorthin zu erkunden und lebendigen Menschen „zu weisen. Nur der bekannteste solcher Versuche ist der dem Sertorius „zugeschriebene".

2) cf. W. Jordan in Fleckeisens Jahrb. 1872 p. 1—8: „Das Hadesreich „der Odyssee ist die von der Sonne abgekehrte Rückseite der Erdscheibe, „die *ἀντίχθων*, Gegenerde eines weit späteren Zeitalters. Von der *ζείδωρος* „*ἄρουρα* und vom Götterhimmel aus betrachtet bleibt es allerdings Unterwelt, „*ὑπὸ κεύθεσι γαίης*, aber nicht als Erdinneres, sondern als jenseitige Ober- „fläche". Eisenlohr, Über die Lage des homerischen Totenreiches, Lahr 1872.

3) cf. Sophocl. Oedip. Tyr. 178: *ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ.*

4) cf. Lucian. de luctu: *ὁ πολὺς ὅμιλος, οὓς ἰδιώτας οἱ σοφοὶ καλοῦσιν, Ὁμήρῳ τε καὶ Ἡσιόδῳ καὶ τοῖς ἄλλοις μυθοποιοῖς περὶ τούτων πειθόμενοι καὶ νόμον θέμενοι τὴν ποίησιν αὐτῶν, τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθὺν Ἅιδην ὑπειλήφασιν.* et Cic. Tusc. disp. 1. 36: „in terram cadentibus corporibus iisque humo „tectis sub terra censebant (antiqui) reliquam vitam agi mortuorum". Verg. Aen. 4. 387 (Manes imi), Georg. 1. 243 (Manes profundi). Kb. 568. A. P. VII 179, 279, 352.

5) Inferorum sedem non sine quadam ingenii ubertate descripserunt Plato in fine Polit. et Plutarchus: *περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων.* cf. Hom. Od. 10. 513 sqq. et Rohde l. l. II³ p. 220 adnot. 4.

tiones, quales: *apud* (*ad*) *inferos*, *inferna*, quae sub terra ea sita esse proprie indicant.

Bch. 86: nullum dolorem ad inferos mecum tuli.

Bch. 192 (carmen lacunosum ut videtur):

ut perferantur, si qua sunt, ad inferos [1]).

Numero plurali saepe apud scriptores, Ciceronem et alios. cf. Tusc. disp. 1. 36: „cuius ignoratio finxit inferos easque „formidines". Topic. 45: „ut mortui ab inferis excitentur" [2]).

Vox inferna (sc. loca) [3]) raro legitur, sed numero singulari infernum (s. infernus sc. locus): [4])

Bch. 346: Legibus inferni motis Proserpina reddi
Eurydicen iussit, sed eam mors atra reduxit.

Saepius adiectivum:

Bch. 1033: sis precor infernis minus invidiosa sub umbris.

Bch. 1041: desine per terras infernas tendere ad arces. (cf. 501)

Bch. 1180 (cf. 1181):

sit licet inferne (= ae) noctis tristissimus horror,
me tamen vestre (= vestra) credo iacere domo.

Bch. 1186: infernis numinibus dedi (sc. vitam) [5]).

ibid.: set in secessum numinis infernae domus
oficiosus tandem ministerio laetatur suo.

Bch. 1537: prevenere diem meae (vitae?) crudelia Fata
et raptam inferna me posuere ratem (pro: rate).

Graece *νέρτεροι* et inferorum sunt dei et ipsi mortui [6]).

---

1) Fortasse Bch. 1162: flebilis et misere raptus ad inferias. si quidem „inferias" minus recte pro eo quod est „inferos" dictum est. (cf. Bch. 1050. 6). Comparentur Bch. 1058: at saevos Pluto rapuit me ad infera templa, et Bch. 1829: Liber et exuctus cura, germane, subisti infera, desertus vita.

2) Singulari numero inferus in Vulgat. legitur Esaias 38. 10: vadam ad portas inferi (Graece: *πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου*). Contra in Matth. 16, 18 (ex interpretatione Theodori Bezae): et portae inferorum non superabunt eam. (Iob 17. 13). Adiect. Bch. 1534.

3) cf. Tacit. Hist. 5. 5. de Iudaeis: eademque est de infernis persuasio, et Propert. 3. 26. 3: sunt apud infernos tot milia formosarum. (ibid. 2. 1. 37).

4) cf. Vulgat. Iob 21, 13: Consummaverunt autem in bonis vitam, et in requie inferni dormierunt. Psalm. 9. 18: Convertantur peccatores in infernum.

5) cf. Bch. 1262: numina nunc inferna precor. A. P. VII 333: *μηδὲ καταχθονίοις μετὰ δαίμοσιν ἔμμορος εἴης | ἡμετέρων δώρων.*

6) cf. A. P. VII 182: (*τεῦχαι*) *φθιμένᾳ νέρθεν ἔφαινον ὁδόν.* Ibid. 476. 1 et Sophocl. Oedip. Tyr. 416.

cf. Aeschyl. Choeph. 15.405, Pers. 619; Sophocl. Antig. 602, Oedip. Col. 1661; Euripid. Alc. 47: *κἀπάξομαί γε νερτέραν ὑπὸ χθόνα.* cf. Aristoph. Lysistr. 772.

Sic et *ἔνεροι.* cf. A. P. VII 467: *ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων.* Hom. Iliad. 15.188, 20.61. Hymn. Cer. 357. Hesiod. Theogon. 850, Aeschyl. Pers. 629, Euripid. Alc. 30, Plato Polit. 3.387 B.

II. Inferorum sedes crassa caligine tectas esse tota credidit antiquitas [1]). Et Vergilius poeta accuratius rem ita explicat, ut Tartara tota faciat tenebrosa, Elysio vero suum assignet solem. Deiphobus enim ex ultimis Orci arvis, quae viri bello clari frequentant, comitatus Aeneam in bivium ubi venit, quo via se findit laeva ad impia Tartara mittens, dextra ad Elysium praeter Ditis regiam ducens, in eo ut revertatur Sibylla admonente, dicit (Aen. 6. 545): „Discedam „reddarque tenebris". Quo profecto Aeneas cum Sibylla comite ad beatorum pervenit sedes, ubi largior esse aether dicitur et mortui: „solem suum, sua sidera norunt". (ibid. 641).

Elysium igitur suo sole collustrari fingit poeta [2]).

Neque novum id erat. Iam Pindarus nitidis coloribus piorum felicitatem depingens dixerat: *τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω* [3]).

In titulis *de tenebris et nocte inferorum* saepe est sermo.

Bch. 55: bis hic septeni mecum natales dies
tenebris tenentur Ditis aeterna domu.

i. e. ego (Eucharis) annos nata bis septenos in tenebris sum Ditis aeternae domus.

---

1) Omnia apud inferos obscura sunt et tenebrosa. cf. Verg. Aen. 6.127: atri ianua Ditis; Horat. Od. 1.24.18: niger grex Manium, et Od. 2.13.21: furva Proserpina. Quam ob rem diis inferorum nigrae immolantur victimae. cf. Aen. 5.736; Georg. 4.546; Horat. Sat. 1.8.27; Hom. Od. 10.525 et passim.

2) cf. Bch. 126.2: patri date lucos, in quis purpureus perpetuusque dies.

3) Bgk. P. L. G. I[3] p. 330 (Plutarch. Cons. ad Apoll. 35). cf. Aristoph. Ranae 155: *ὄψει τε φῶς κάλλιστον, ὥσπερ ἐνθάδι,* et 454: *μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν.*

Bch. 398: quae caruit luce et tenebris se miscuit atris.

Sic saepius; cf. carmen simillimum Bch. 503.

Bch. 428: (frater meus) in tenebris Acherontis labitur undis.

Bch. 1828: perveni in tenebras Ditisque ad Tartara praeceps.

Praeterea Bch. 1084, 1109, 1550.

Qui in sepulcro iacet humatus, in tenebris quoque esse dicitur:

Bch. 496: Hic iaceo infelix Zmyrna puella tenebris [1]).

Idem fere 1269, 1822. cf. praeterea:

Bch. 1068: nunc rapior tenebris et tegit ossa lapis [2]).

Bch. 595: quos cito nimium rapuerunt fata tenebre [3]).

cf. carmen Christ. Bch. 660. 2.

Vox quae est *nox* legitur:

Bch. 428: (frater) in aeternam mersit sua lumina noctem.

Simillimum 545. 2.

Bch. 467: et manes placida tibi nocte quiescant.

Apud poetas et Romanos et Graecos de inferorum sedibus tenebrosis saepe est sermo. Exempla comparentur haec:

Verg. Aen. 6. 265: „loca nocte tacentia late", et 268: „ibant obscuri sola sub nocte per umbram", ubi ipsi homines dicuntur obscuri, quod tenebris sunt circumfusi. cf. ibid. 534 et Georg. 4. 497, quocum cf. Euripid. Phoeniss. 1453: *ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος.*

Catull. 3. 11 (de passere mortuo dictum): „qui nunc it per iter tenebricosum", et 5. 6: „(nobis) nox est perpetua una dormienda". Horat. Od. 1. 28. 15: „Sed omnes una „manet nox" [4]).

Iam apud Homerum: Iliad. 15. 191: *Ἀίδης δ᾽ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα.* cf. ibid. 21. 56, 23. 51; Od. 11. 57: *Ἐλπῆνορ, πῶς ἦλθες ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα*; cf. ibid. 20. 356.

1) De voce quae est Zmyrna, cf. Stowasser l.l.

2) cf. Catull. 3. 13: at vobis male sit, malae tenebrae Orci, quae omnia bella devoratis: tam bellum mihi passerem abstulistis.

3) De vocabuli casu non constat. Esse potest numeri singularis genetivus (tenebra raro legitur, cf. Georg. Lex. Lat. Wortf.) aut numeri pluralis nominativus (et fata rapuerunt et tenebrae. cf. Bch. 1068. 2).

4) Contra Senec. ad Marc. de consol. 19. 4: cogita — nullas imminere mortuis tenebras.

Praeterea Theognis 708: (*ὅστις*) *ἔλθῃ* (*δὲ*) *ἐς σκιερὸν χῶρον ἀποφθιμένων*. cf. 244. Aeschyl. Pers. 839, Euripid. Alc. 852: (*Κόρης εἰς ἀνηλίους δόμους*), Lucian. Necyomant. 1.

Etiam in titulis Graecis:

Kb. 431: *κεῖμαι ἐς αὐχμηροὺς καὶ ἀλαμπέας Ἀίδος εὐνάς.* cf. 89, 241, 264.

A. P. VII 181: *οἰκτρὰ δὴ δνοφερὸν δόμον ἤλυθες εἰς Ἀχέροντος.*

ibid. 352: *Δεξιτερὴν Ἀίδαο θεοῦ χέρα καὶ τὰ κελαινὰ*
ὄμνυμεν ἀρρήτου δέμνια Περσεφόνης.

cf. 70, 211, 232, 283, 524, 633, 700, 713, 735.

III. *In regno Ditis et Proserpinae* quoque mortuorum animae esse dicuntur. Dis autem eiusque uxor e Graecia originem habere videntur [1]). Dis i. e. dives Latine vocatur *ὁ Πλούτων*, quod nomen Graecum et ipsum deducendum est a voce, quae est *πλοῦτος* [2]). *Πλούτων* autem sive *Ἅιδης* [3]) apud

---

1) cf. Wissowa l. l. p. 256: „Beide Gottheiten waren vor der Feier des Jahres 505 (= 249) der römischen Religion gänzlich fremd".

2) cf. Wissowa l. l. p. 256: „wie der Name Dis, dessen Identität mit „dem griechischen *Πλούτων* auch die Alten nicht verkennen konnten, nichts „anderes ist als die Uebersetzung dieses griechischen Namens, so kann man „in Proserpina, obwohl Varro (de l. l. 5. 68) den Namen von proserpere „ableitete, nur eine Zustutzung und lautliche Anpassung des griechischen „*Περσεφόνη* erkennen, und dass die Römer selbst ihn als einen griechischen „empfanden, geht daraus hervor, dass sie es für notwendig hielten, ihn „sich durch Gleichsetzung der Göttin mit der einheimischen Libera zu „verdolmetschen". (cf. Cic. in Verrem 4. 106: „[ipsi Siculi arbitrantur in „Sicilia] et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant". De Libera cf. Wissowa l. l. p. 242 sqq.).

De nominibus, quae sunt *Πλούτων* et Dis, cf. praeterea Socrates in Platon. Cratylo 403 A: *τὸ δὲ Πλούτωνος, τοῦτο μὲν κατὰ τὴν τοῦ πλούτου δόσιν, ὅτι ἐκ τῆς γῆς κάτωθεν ἀνίεται ὁ πλοῦτος, ἐπωνομάσθη.* (Cic. de nat. deor. 2. 26. 66: Terrena autem vis atque natura Diti patri dedicata est, qui Dives, ut apud Graecos *Πλούτων* [dictus est], quia et recidant omnia in terras et oriantur e terris.) et 403 E, ubi Socrates nomen ita explicat: *ὁ θεὸς οὗτος τέλεος σοφιστής τε καὶ μέγας εὐεργέτης τῶν παρ' αὐτῷ, ὅς γε καὶ τοῖς ἐνθάδε τοσαῦτα ἀγαθὰ ἀνίησιν· οὕτω πολλὰ αὐτῷ τὰ περιόντα ἐκεῖ ἐστί, καὶ τὸν Πλούτωνα ἀπὸ τούτου ἔσχε τὸ ὄνομα.* Roscher, Lex. d. Gr. u. Röm. Mythol. s. v.

3) cf. de nominis significatione Socr. in Platon. Cratylo 404 B: *καὶ τό γε ὄνομα ὁ Ἅιδης, ὦ Ἑρμόγενες, πολλοῦ δεῖ ἀπὸ τοῦ ἀειδοῦς ἐπωνομάσθαι* (sic *οἱ πολλοί* ibid. 403 A), *ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ*

Graecos tertius est frater Iovis, Croni et Rheae filius, qui in mundi regno describendo inferorum regnum sortitus est [1]).

In cultu Romanorum Dis et Proserpina magni momenti non fuerunt; apud poetas et in titulis saepe memorantur [2]).

In his titulis Ditis fit mentio:

Bch. 55: (natales dies) tenebris tenentur Ditis aeterna domu.
Bch. 104: Ditis intra terminos. [(cf. 1552. 56)
Bch. 395: Secreti Manes qui regna Acherusia Ditis | incolitis.
Bch. 442: quem genuit genetrix secum tenet in lare Ditis.
Bch. 501: miserando funere rapto (pro: rapti)
Ditis ad infernas sedes lucosque piorum.
Bch. 1551 C 5: Ditis silentia maesti.
Bch. 1534: in inferi Ditis specus.
Bch. 1828: Ditis ad Tartara.

Dis pater e vita homines rapit [3]) (Bch. 1219, 1223) aut accipit (Bch. 513); Parcarum invidia vivos tollit Diti (Bch. 547), dati sunt Diti (Bch. 960). Omnia igitur Ditis [4]) habet (Bch. 1148), est deus avarus (Bch 1034).

Vox, quae est Pluto, legitur in his titulis:

Bch. 581: Plutonis adire domos.
Bch. 1829: Exceptus tellure patris Plutonis in aula.

Vocatur deus invidus (Bch. 1014), saevus (Bch. 1058), crudelis (Bch. 971), qui rapit vel eripit, ante diem meritum hominem demergit ad Styga (Bch. 474) [5]).

εἰδέναι (*ᾱ* et *εἰδέναι*), *ἀπὸ τούτου ὑπὸ τοῦ νομοθέτου* "*Αιδης ἐκλήθη*. De littera *α* producta aut correpta vid. Bailly, Dictionn. Grec-Français 4e edit. revue. Paris Hachette 1903. s. v.

1) cf. Iliad. 15. 187, 191.

2) cf. Wissowa l. l. p. 257 i. f. et p. 258.

3) cf. Bch. 1066: heu Ditis foeda rapina feri; Bch. 80: Acervam (v = b) Ditis rapuit infantem domus.

4) Forma, quae est Ditis (nominat. sing.) legitur Bch. 1148, 1219. cf. Georg. Lex. d. Lat. Wortf. s. v. cf. A. P. VII 342: *πάντας ὁμῶς θνητοὺς εἷς 'Αίδης δέχεται* (cf. 452, 732) et Kb. 35: *κοινὸν Φερσεφόνης πᾶσιν ἔχεις θάλαμον*.

5) cf. Horat. Od. 2. 14. 7: „Si trecenis, amice, places illacrimabilem Plutona tauris" (illacrimabilis est durus ita, ut nullo modo commoveri possit. Alia significatione Od. 4. 9. 26). Est et dominator Averni (Bch. 1237) et rex, qui coercet fabulas manes (Bch. 1504).

Regina Proserpina s. Persephone memoratur in his:

Bch. 422: Nondum Persephones sperabam visere regna.

Bch. 346: Legibus inferni motis Proserpina reddi
Eurydicen iussit.

Anni secundi vitae liminibus aliquem sibi rapuisse dicitur Bch. 1161, dea pallida votis invidet hominum (Bch. 1301), quibus dat finem annorum (Bch. 527).

Eadem fere in titulis Graecis inveniuntur.

Loca infera sunt: *δῶμα 'Αίδεω* (A. P. VII 251, 268), *λιμένες 'Αίδεω* (ibid. 264) [1]), *Ἄιδος σκιερὸς δόμος* (ibid. 466) [2]), *Περσεφόνης δῶμα* (Kb. 62) vel *ἐσθλὰ δώματα* (Kb. 189) vel *θάλαμοι* (Kb. 231) vel *ἀδίαυλος στυγερὸς δόμος* (Kb. 244).

Ἄιδης homines *ἁρπάζει* (A. P. VII 308, 364, 476, 481, 599), *δαμάζεται* (ibid. 396), *λαγχάνει* (ibid. 462); *ἀνὴρ κεῖται αὐτῷ ἕλωρ* (ibid. 439). cf. Kb. 89, 151.

Est deus *δακρυόεις* (ibid. 186), *πένθιμος* (188), *δυσπειθής* (190), *δυσκίνητος* (221), *πικρός* (303), *νηλειής* (308, 556), *ἀλλιτάνευτος καὶ ἄτροπος* (483), *πάντα νικῶν* (692), *στυγερός* (699), *βάσκανος* i. e. invidus (712). cf. Kb. 162, 241.

De Persephona cf. A. P. VII 128, 133, 185, 189, 387, 489, 507*b*, 551, 657.

Loca parallela apud poetas et scriptores cum Graecos tum Romanos unicuique sunt obvia, ut praetermittam.

IV. De *fluminibus*, quae apud inferos fluere putabantur, agendum est, quod et eorum fluminum nominibus sedes inferorum indicari solebant. Quibus in fluminibus et nominandis et disponendis quam mire veteres varientur, videtur notum esse. Nec erit nostrum diversa illa contrariaque exponere et diiudicare. Sufficiant igitur haec pauca: Homero

---

1) Minus saepe *Πλούτων* legitur quam *Ἄιδης*. cf. A. P. VII 319: *ὦ πυλαωρὲ Πλούτωνος, Κέρβερε.* ibid. 524 in dialogo, Kb. 48. Etiam *Πλουτεύς*: A. P. VII 130: *Πλουτέα δ'οὐκ ἔφυγες.* cf. ibid. 587, IX 137; Kb. 128; Idyll. I (Mosch. III) Epitaph. Bion. 22, 125, 133.

2) Hades, ut notum est, non solum inferorum deum significat, sed etiam eius regnum, locum ubi sunt mortui, in his: *εἰς 'Αίδην, ἐν 'Αίδῃ*, quae sescenties in titulis leguntur. (cf. Hom. Iliad. 8. 16).

iam nota sunt quattuor flumina, Ἀχέρων, Πυριφλεγέθων, Κώκυτος, Στύξ [1]), quae tamen apud inferos fluentia nondum eos circumfluunt [2]).

Apud posteriores, imprimis apud poetas, flumina inferos cingunt aditumque intercludunt. Vergilius exempli gratia rem ita finxit, ut primus sit Acheron, qui in Cocytum influit medium, tertia autem et intima sit Styx; Phlegethon sive Pyriphlegethon [3]) „rapidus flammis torrentibus amnis" Tartarum modo circumfluat. Tria autem illa flumina omnem Orcum, etiam Elysium cingentia finguntur, ut sint omnia traicienda iis, qui ipsum Orcum adeant. Hinc Charon, portitor horrendus (Aen. 6. 298), mortuorum animas cymba sua transportat [4]).

Denique ut Manes et inferi indicant locum, ubi versantur inferi et Manes, sic Acheron, Styx, Phlegethon pro ipsis inferorum sedibus, quas circumfluunt, leguntur [5]).

In titulis haec sunt:

de Acheronte.

Bch. 428: hic meus ut frater Stabiano littore mecum
conditur, in tenebris Acherontis labitur undis.

Bch. 434: nunc vero infernas sedes Acherontis ad undas
tetraque Tartarei per sidera tendo profundi.

---

1) Eadem Cicero enumerat flumina de nat. deor. 3. 43.

2) cf. Hom. Od. 10. 513; etiam Hesiod. Theogon. 738 de *Ταρτάρου πηγαῖς* et quae ibid. 775 sqq. de Styge narrantur.

3) Flumen Phlegethon rarius quam cetera inferorum flumina commemoratur. cf. Verg. Aen. 6. 551, 265; Culex 272, 374.

4) cf. Lucian. de luct. 3: *(ὁ πολὺς ὅμιλος ὑπειλήφασι) περιρρεῖσθαι τὴν χώραν ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ φοβεροῖς κἀκ μόνων τῶν ὀνομάτων· Κωκυτοὶ γὰρ καὶ Πυριφλεγέθοντες καὶ τοιαῦτα κέκληνται. τὸ δὲ μέγιστον, ἡ Ἀχερουσία λίμνη πρόκειται, πρώτη δεχομένη τοὺς ἀπαντῶντας, ἣν οὐκ ἔνι διαπλεῦσαι ἢ παρελθεῖν ἄνευ τοῦ πορθμέως.*

5) cf. de Phlegethonte Verg. Aen. 6. 265, de Styge Georg. 1. 243, Ovid. Metam. 10. 13, de Acheronte Aen. 7. 312, Horat. Od. 1. 3. 36, 3. 3. 16, Lucret. 4. 133 (168), Cic. post redit. in senat. 25 etc. De his fluminibus vid. praeterea Platon. Phaed. 112 E, de Styge Georg. 4. 480, Aen. 6. 154, Ovid. Metam. 12. 322, Art. amator. 1. 635 (cf. Hom. Od. 5. 185); de Acheronte Pind. fragm. 120, Theocrit. 17. 46, Lucian. Necyomant. 476, Plutarch. Cons. ad Apoll. 10; de Cocyto Aen. 6. 132, 297, 7. 479, Georg. 3. 38, 4. 479, Horat. Od. 2. 14. 18, Cic. Tusc. disp. 1. 10 et passim.

Bch. 1109: non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas,
non Acheronteis transvehar umbra vadis.

Bch. 1552: nunc ego non dubitem tacitis Acherontos in umbris,
si post fata manent sensus, gaudere parentem,

in quo carmine Acheron ab inferis non multum differre videtur [1]).

Conferantur A. P. VII 203:

ᾤχεο γὰρ πυμάταν εἰς 'Αχέροντος ὁδόν.

Ibid. 396 (de Eteocle et Polynice):

κείνους οὐδ' 'Αίδης ἐδαμάσσατο, κὴν 'Αχέροντι μάρνανται.

Idem 420, 476, 482, 732; praeterea cf. 67, 68, 181, 384, 391, 399, 486, 488, 648, 726, 568; Kb. 256, 260, 228.

de Styge.

Bch. 995: at nunc quod possum, fugiam lucemque deosque
ut te matura per Styga morte sequar.

Bch. 1005: hic ego nunc cogor Stygias transire paludes.

cf. 1212. 5, 960. 8 (deducta et fatali igne et aqua Stygia).

Styx ergo in his flumen est traiciendum et quidem rate, quae inde Stygia vocatur [2]).

Bch. 1187: Duceris ad Stygiam nunc miseranda ratem.

cf. 1265, 1537.

Stygis aqua eius, qui transiit reditum intercludit:

Bch. 1549:

quas ego, quas genitor pro te dabo, nate, querellas,
raptumque Stygio detinet unda lacu [3]).

Styx idem est ac inferi:

Bch. 474: ante diem meritum hunc demersit at Styga Pluton.

Inde epitheton Stygius:

Bch. 523: Stygias miserum dimisit ad umbras.

Simillimum fere 1150, 1278. cf. 513, 1757 (carmen valde

---

1) cf. Bch. 395 (regna Acherusia), 1535 (templa Acherusia).

2) cf. Tibull. 3. 3. 10: Lethea ire rate, (3. 5. 24) et Propert. 3. 23. 13: cernere infernae tristia vela ratis.

3) cf. Bch. 1109: nec Minos mihi iura dabit grandaevus et atris
non errabo locis nec cohibebor aquis.
et Horat. Od. 2. 20. 8. cf. Horat. Od. 4. 7. 27: Lethaea vincula.

corruptum) et reges Stygii (Bch. 198), Stygis ira (in carm. Christ. Bch. 1379), rex Stygius (Bch. 1550), regnator Stygius (Bch. 1552).

Vocem quae est Στύξ in titulis Graecis non inveni.

de Lethe.

Lethaeum amnem non fingunt poetae inferos circumfluentem, sed Elysium praeterfluentem [1]. In titulis a Buechelero collatis, Lethe semper fere pro inferis legitur.

Bch. 218: Speudusa, Lethen incolis.

cf. A. P. VII 220: *Λήθην ναίεις ἀγλαΐην.*

Bch. 1305: Narrabam Lethen defunctorumque quietem.

Bch. 1551 C 3 (= Cholodniak. 267*c*):

et prior at Lethen cum sit Pomptilla recepta.

Bch. 1567: Oppi, ne metuas Lethen.

Conferantur A. P. VII 498 (de nauta, qui frigore confectus obiit):

ἴδ' ὡς λιμένα γλυκὺν ἄλλοις
δούς, ξένε, τὸν Λήθης αὐτὸς ἔδυ λιμένα.

et ibid. 25, 711, 716 (*Λήθης πέλαγος*) [2].

Lethe proprie est flumen oblivionis [3]:

Bch. 1187: Inque tuo tristis versatur pectore Lethe,
ut non cognoscas me miseranda pium.

Bch. 1305: nil mihi Lethaei profuit amnis aqua,
durat et infixus noster dolor.

A. P. VII. 346: *αἰεὶ ζητήσω σε· σὺ δ', εἰ θέμις, ἐν Φθιμένοισι*
τοῦ Λήθης ἐπ' ἐμοὶ μή τι πίῃς ὕδατος.

Kb. 204 (cf. 414): *οὐκ ἔπιον Λήθης Ἀιδωνίδος ἔσχατον ὕδωρ,*
ὡς σὲ παρηγορίην κἂν Φθιμένοισιν ἔχω.

De Cocyto et Phlegethonte fluminibus in titulis, quatenus videam, nusquam sermo est [4].

---

2) cf. Aen. 6. 705 (Aeneas videt) Lethaeum(que), domos placidas qui praenatat, amnem.

3) cf. Propert. 5. 7. 91: Lethaea ad stagna reverti, et Catull. 65. 5: Lethaeus gurges.

4) cf. Aen. 6. 714: Animae Lethaei ad fluminis undam Securos latices et longa oblivia potant. Lucian de luct. 5: *περαιωθέντας δὲ τὴν λίμνην* (Acheronta sc.) *ἐς τὸ ἔσω λειμὼν ὑποδέχεται μέγας τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτος καὶ πότον μνήμης πολέμιον· Λήθης γοῦν διὰ τοῦτο ὠνόμασται.* cf. Necyomant. 11.

4) cf. Bch. 1355: Taenareas crudo funere vidit aquas.

Charontem Odyssea non novit; postea inventus ex Aegyptiorum fortasse mythologia (Diodor. 1. 92, 96.) translatus est ad Graecos, inde ad Romanos. Undae omnibus enavigandae [1]) est portitor horrendus, Stygiae navita turpis aquae [2]), vir terribili squalore, qui ipse ratem conto subigit [3]) velisque ministrat et ferruginea subvectat corpora cymba [4]).

Apud Buechelerum lego haec:

1109: nec te terribilem fronte timebo, Charon.
1223: et vos per Stigias portabit portitor undas.
1549: sat fuerat, Porthmeu, cumba vexisse maritam
abreptamque mihi sede iacere tua.

cf. A. P. VII. 67: Ἀίδεω λυπηρὲ διήκονε, τοῦτ' Ἀχέροντος
ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ.
ibid. 464: Ἦ πού σε χθονίας, Ἀρετημιάς, ἐξ ἀκάτοιο
Κωκυτοῦ θεμέναν ἴχνος ἐπ' αἰόνι ...

Praeterea ibid. 63, 66, 68, 69, 365, 374, 530, 600, 603, 671. Kb. 302.

V. Alia nomina, quibus inferorum sedes indicantur, sunt *Tartarus* s. *Tartara* et *Orcus*.

Τάρταρος Homero est locus [5]) sub terra tenebrosus (ἠερόεις), diversus ab Hadis regno, τόσσον ἔνερθ' Ἀίδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης [6]), quo deiecti sunt Titanes [7]). Apud Hesiodum (Asp. 254, 255) Hades et Tartarus iam coniunguntur

---

1) cf. Horat. Od. 2. 14. 9—11 et Aeschyl. Sept. 860: θεωρὶς πάνδοκος.

2) cf. Tibull. 1. 10. 36.

3) cf. Euripid. Alc. 440: ὅς τ' ἐπὶ κώπᾳ πηδαλίῳ τε γέρων νεκρόπομπος ἵζει. cf. 255, 361.

4) cf. Verg. Aen. 6. 298—305, 326—328. praeterea comparentur velim Propert. 4. 4. 14, 4. 17. 24, 5. 7. 56; Verg. Georg. 4. 502, 506; Aristoph. Ran. 180 sqq.; Lucian. Charon I, Dial. Mort. 22, Necyomant. 470.

5) De deo Tartaro Typhoei patre cf. Hesiod. Theogon. 821, 822.

6) Idem fere Hesiod. Theogon. 720. cf. Verg. Aen. 6. 577: Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.

7) cf. Hom. Iliad. 8. 479 sqq., 5. 898; Hymn. in Apoll. Del. 335, 336.

et apud posteriores Tartarus sive Tartara [1]) proprie est inferorum locus is, ubi mali et miseri versantur [2]). Accuratius autem Vergilius aliique eum secuti inter Tartarum et Elysium distinguunt [3]), ex quibus tamquam diversis regionibus Orcus constat.

Saepius et Tartarus pro inferis legitur et Orcus [4]).

In titulis haec sunt:

Bch. 456: O quam dura tibi, piguit, Fortuna, fateri,
quae te tam teneris annis sub Tartara misit.

Bch. 527: Iste mihi coiux in tristia Tartara abit nunc.

Bch. 562: qui legitis, totum nomen si nosse velitis,
noscetis Geminiam Agathen, quam mortis acerbus
eripuit letus teneramque ad Tartara duxit.

Praeterea Bch. 549, 619, 645, 1828 et Cholodniak. 36*c*:
tradita Tartaris imis.

Adiectivum Tartareus in his:

Bch. 1109: non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas.

Bch. 1386 de Felice: Tartareos qui mox vidit et ipse locos.

et in carm. Christ. Bch. 301: mors Tartarea, Bch. 760: Tartarea custodia.

Conferantur

Bch. 576: credo tibi gratum, si haec quoque Tartara norunt.

Bch. 1404: sors, mihi si iuvenem voluisti tollere natum,
antea me raperent Tartara grata magis.

In A. P. VII 531 vox *Τάρταρος* legitur.

De Orco rarius est sermo.

Bch. 1202: orbem sub leges si habeas dum vivis, ad Orchum
quid valet? hic nulla est divitis ambitio.

---

1) Legitur utrumque Tartarus et Tartara. Tartarus e. gr. Hymn. in Herm. 256, 374; Theognis 1036, Anacreon (apud Bgk. P. L. G.) 44. Timocreon 8, Verg. Aen. 6. 577, Lucret. 3. 1010. Tartara Hesiod. Theogon. 119, 841; Verg. Georg. 1. 36, 2. 292, 4. 482; Aen. 4. 243, 6. 543; Lucret. 3. 42.

2) cf. Platon. Phaedo 113 E ubi *τοὺς ἀνιάτως ἔχοντας ἡ μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον.*

3) cf. Aen. 5. 733 sqq. Bch. 1515: iam te non Tartara crudelem tenebunt, set Elysius campus occupavit.

4) cf. Verg. Georg. 1. 36; Ovid. Metam. 10. 21, 12. 619; Horat. Od. 1. 28. 10.

Bch. 1581:

talis enim sensus erat illi quasi properantis ad Orcum.

Bch. 1829: Rebus sollicitus fueras, dum vita maneret,
Adfectus curis miseris necdum memor Orchi.

Addo *de Erebo* duos titulos:

Bch. 1165: animae piorum
laudatae colitis quae loca sancta Erebi,

in quo titulo, si reliqua conferas, Erebum pro inferis dictum esse apparet, et Christianum Bch. 920:

Flecte genu; en signum per quod vis victa tiranni
antiqui atque Erebi concidit imperium.

ubi Erebus sedes sunt tenebrosae impiorum apud inferos et cum Tartaro [1]) potissimum concinunt [2]).

Canis inferorum sedibus iam additur custos apud Homerum in Iliad. libro 8. 368 (*κύων στυγεροῦ Ἀίδαο*) et apud Hesiodum (Theogon. 769: *δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει νηλειής*), cuius autem nomen apud Homerum non legitur, sed primum invenitur Hesiod. l. l. 311.

Vulgo *Cerberus* est canis *τρικέφαλος* [3]), triceps [4]), tria extollens ora et tres latratus simul edens [5]), *τοὺς μὲν ἐσαφικνουμένους φίλιόν τι καὶ εἰρηνικὸν προσβλέπων, τοὺς δὲ πειρῶντας ἀποδιδράσκειν ὑλακτῶν καὶ τῷ χάσματι δεδιττόμενος* [6]).

Memoratur apud Bch. 1034:

me potius Manes rapuissent Ditis avari
et cineres nostros ima foveret humus,
quam te sic nostris rapuisset Cerberus annis
aut insperanti triste dedisset opus.

---

1) Erebus ex Chao erat natus (cf. Hesiod. Theogon. 123), Tartari frater.

2) cf. A. P. VII. 558: (ἧκον) νέος εἰς ἔρεβος. Theognis 974.

3) Lucian. de luct. 4: κύων τρικέφαλος μάλα κάρχαρος.

4) Cic. Tusc. disp. 1. 10: triceps apud inferos Cerberus. Bch. 1257: tricipitisque feri sedes.

5) cf. Ovid. Metam. 4. 450; Verg. Aen. 6. 417: Cerberus haec ingens latratu regna trifauci personat. Horat. Od. 2. 13. 34 autem: belua centiceps et Hesiod. Theogon. 312: πεντηκοντακέφαλος.

6) Lucian. l. l. 4. cf. Hesiod. Theogon. 770 sqq.

quibus verbis Cerberus insolite dicitur ipse rapuisse mortuam. Comparentur A. P. VII 69:

Κέρβερε, δειμαλέην ὑλακὴν νεκύεσσιν ἰάλλων.

ibid. 70: *Νῦν πλέον ἢ τὸ πάροιθε πύλας κρατεροῖο βερέθρου*
ὄμμασιν ἀγρύπνοις, τρισσέ, Φύλασσε, κύον.

et ibid. 66, 319.

VI. *Elysium* sive *campi Elysii*, τὸ Ἠλύσιον πέδιον, apud Homerum loco notissimo Od. 4. 563 commemoratur. Est locus amoenus in ultima terra situs, quo Menelaum morte non confectum, anima contra et corpore praeditum missuri sunt dei, ut ibi facillimam mortalibus vivat vitam [1]). Diligentius vero illud πέδιον nusquam indicatur; unum tantum apparet non sub terra, sed a regionibus habitatis procul supra terram Elysium situm esse. Non pauci sunt qui putent totum locum non quadrare in Odysseam [2]) neque sine causa id videtur putari [3]); minime vero ab Homero alienum est hominem vivum a diis e vita abripi [4]) eumque secuti alii alios finxerunt eodem modo abreptos [5]).

Beatorum insulas, quarum iam apud Hesiodum fit mentio [6]), posteriores saepe commemorant eadem significatione atque Elysium et pars maior eorum qui sedes habitare seiunctas putarent eos, qui caste vitam suam egissent, Elysium illud vel fortunatorum insulas infra terram collo-

---

1) cf. Aristoteles apud Bgk. P. L. G. II³ p. 650. 3(12):
ὄλβιος, ὦ Μενέλαε, σύ τ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
ἐν μακάρων νήσοις, γαμβρὲ Διὸς μεγάλου.

2) cf. Rohde l. l. I³ p. 70 et adnot. 1.

3) cf. Rohde l.l. pgg. 77—79.

4) cf. Rohde l.l. p. 76: „Wenn also Menelaos lebendig entrückt wird „nach einem fernen Lande an den Grenzen der Erde, um dort in ewiger „Seligkeit zu leben, so ist das zwar ein Wunder, aber ein solches, das in „homerischem Glaube seine Rechtfertigung und seine Vorbilder findet". cf. pgg. 70—75. Dieterich l.l. p. 20.

5) cf. Rohde l.l. II³ p. 369 adnot. 2.

6) cf. Opera et Dies 170: *καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες*
ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην.

cabant [1]). Vulgo Tartara et Elysium inter se opponebantur [2]), quamquam nihil unquam hac de re constabat.

Quam nitidis coloribus Elysiorum camporum amoenitates poetae depingere solerent, cuivis notum esse potest [3]).

In inscriptionibus quoque Elysium vulgo est locus, quo ii potissimum conveniunt, qui „aetatem egerint caste suam" (Plaut. Trinum. 549) [4]) ubi vita beata hominibus parata est, quo fit ut multis exoptetur.

Bch. 435: Hi sancte coluere deos vixereque honeste,
post obitum Elysios ut possent visere campos.

Bch. 1165: (animae piorum) insontem Magnillam ducite
per nemora et campos protinus Elysios.

Bch. 1311: (Vincentia rapta et ante patrem condita est)
quin potius corpus: nam mens aeterna profecto
pro meritis potitur sedibus Elysiis.

Bch. 1515: iam te non Tartara crudelem tenebunt,
set Elysius campus occupavit.
pius enim eras et „probus parens".

Bch. 394: Inplesti pia vota: peracto tempore vitae
felix Elysiis merito levis umbra moraris [5]).

---

1) cf. Rohde l.l. II² p. 370: „Dies war in späterer Zeit die übliche Ansicht".

2) cf. Verg. Aen. 6. 541—543.

3) cf. Hom. Od. 4. 563 sqq.; Pindar. fragm. 106, 107, Olymp. 2. 61 sqq.; Euripid. Hippol. 732 sqq.; Aristoph. Ran. 154 sqq.; Axioch. p. 371c (Dieterich l.l. p. 30); Verg. Aen. 6. 638 sqq.; Tibull. 1. 3. 59 sqq. Rohde l.l. II² p. 383 adnott. 2, 3, 5.

4) Sic saepe in carminibus Christianis:

cf. Bch. 681: iam videt et sentit magni spectacula regni
et *bene pro meritis* gaudet sibi praemia reddi
tecum, Paule, tenens calcata morte coronam.

Bch. 688: sprevit opes, dum quaerit opes, mortalia mutans
perpetuis, *caelum donis terrestribus emit.*

praeterea 703 (superas rediturus meritis ad auras), 735, 743, 748 (caelum petiere innocuae vitae meritis operumque bonorum), 755, 760, 767, 776, 778, 779 (divino munere reddi mercedem meritis), 904.

5) Merita vitae, quae post mortem hominibus prodesse putabantur, in titulis saepe commemorantur:

cf. Bch. 477: est mihi terra levis *merito*, sed quiesco marmore clausus.
reddedi depositum, coaglavi semper amicos,
nullius thalamos turbavi, nemo queretur, etc.

Conferantur Lucian. de luct. 7: οὗτοι (sc. inferorum iudices) τοὺς μὲν ἀγαθοὺς τῶν ἀνδρῶν καὶ δικαίους καὶ κατ' ἀρετὴν βεβιωκότας — καθάπερ ἐς ἀποικίαν τινὰ πέμπουσιν ἐς τὸ Ἠλύσιον πεδίον τῷ ἀρίστῳ βίῳ συνεσομένους. Plutarch. Cons. ad Apoll. 34: εἰ δ' ὁ τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθής, ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν οὕτω, καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐστί τις τιμὴ καὶ προεδρία, καθάπερ λέγεται, καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαί ... cf. 36: τὸν μὲν δικαίως διελθόντα τὸν βίον καὶ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσῃ, εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν. (Plat. Gorgias 523 A). A. P. VII 690, ubi quis in fortunatorum insulas profectus esse dicitur, quod sapiens et consilio optimus in vita erat.

Bch. 393: Elysios *precor* ut possis invadere campos
matronamque colas Ditis Ditemque preceris,
det sedes ut honoratas meritosque recessus.

Bch. 492: hanc *precor* Elysiis iubeas consistere campis
et myrta redimire comas et tempora flore.

Bch. 1143: molliter ad matrem placidi descendite manes,
Elysiis campis floreat umbra tibi.

Bch. 1465: vivas qui dixeris: vivit Elysiis.

cf. A. P. VII 27: εἴης ἐν μακάρεσσιν, Ἀνάκρεον, εὖχος Ἰώνων.

Praeterea Bch. 498:

Bch. 525, 991 = 992, 1047 = 1048, 1244, 1321. Kb. 259, 516, 569. Cic. Tusc. disp. 1. 72, Somnium Scip. 16, 26; Horat. Od. 3. 3. 21; Propert. 5. 11. 17; Platon. Phaedo 63 C, 107 D. (Gorgias et Republ. 10).

Contra Bch. 1066: quid prodest vixisse in amabilitate facetum
cunctaque blanditiis emeruisse suis?

cf. Bch. 1204 et Cato apud Sallust. in Catilin. 52.

Dubitanter haec dicta sunt:

Bch. 1031: Si qua manent obitis vitae sine fraude peractae
praemia sub terris....

Bch. 1117: Si pietas prodest quiquam (sic!), vixisse modeste,
vos precor o Manes, sit mihi terra levis.

cf. Kb. 61: εἰ δέ τις εὐσεβίας παρὰ Περσεφόνῃ χάρις ἐστίν,
καὶ σοὶ τῆσδε μέρος δῶκε τύχη φθιμένῃ.

Simile Kb. 48 (cf. 215), A. P. VII 658.

lugentesque suos miseros cum prole reliquit,
et tulit Elysium viginti et quattuor annis.

cf. Menander 421. 16: *τὸ Ἠλύσιον ἔχει πεδίον* [1]).

Etiam memorantur Elysii *campi* Bch. 525, 588; Elysiae *sedes* Bch. 550, 1550 B (si recte supplentur), 1188, 1311; Elysii *lacus* Bch. 1061; Elysia *vallis* Bch. 1111; *nemus* Aelysium Bch. 766 (carm. Christ.); Elysii (omisso vocabulo quod est campi) Bch. 394, 1233, 1326, 1465; Elysium Bch. 498, 1189, 1443; Elysiae terrae Bch. 1552 [2]).

Qui campos Elysios incolunt, sunt beati, pii [3]), Graece vulgo *εὐσεβεῖς, μάκαρες.*

Bch. 432:

Elysios campos habitans et prata veatum (i. e. beatum)

Bch. 578:

Quisquis heris (= eris) post me dominus laris huius et orti, (= horti)
vicinas mihi carpe rosas, mihi lilia pone,
candeda (sic!) que (sic!) viridis dabit ortulus: ista beatum.

Bch. 501:

(Florus est raptus) Ditis ad infernas sedes lucosque piorum.

A. P. VII 260:

οἵ (sc. *παῖδες*) *με κατασπείσαντες ἀπήμονα τὸν γλυκὺν ὕπνον*
κοιμᾶσθαι χώρην πέμψαν ἐπ' εὐσεβέων.

ibid. 520: *δήεις δ' αὐτὸν ἐν εὐσεβέων.*

Kb. 90: *εὐσεβέων οἴχεται* (sc. *ἡ ψυχή*) *εἰς θάλαμον.*

cf. Kb. 151, 189, 215, 218, 296, 338.

A. P. VII 613: *γείτονά* (*σε*) *τῆς μακάρων θῆκε χοροστασίης.*

---

1) cf. Speusippus apud Bgk. P. L. G. II³ p. 642: *ψυχὴ δ' ἰσοθέων τάξιν ἔχει μακάρων*, et Kb. 473: *νῆσσον ἔχεις μακάρων.*

2) De loco ubi Elysium esse tituli indicant, cf. B. Schröder, Bonner Jahrbücher l. l. p. 56 Anm. 1: „Ueber den Ort des Elysiums schwanken „die Angaben. Es liegt im Grabe (Bch. 1138), es ist der Ort zu dem die „Manen hinabsteigen (1143), wo Dis und Ditis Matrona herrschen (393), „wird mit Erebus confundiert (1165), erscheint als höhere Stufe gegenüber „dem Tartarus (1515), tritt aber gegen den Himmel zurück (1061)". cf. ibid. p. 66.

3) Unde et sedes eorum piae dicuntur. Bch. 1125: hic defuncta piis sedibus ecce moror, (simillim. 1125); 1138: ossibus opto tuis sit pia terra levis.

Kb. 414: ἀλλ' οἰκεῖ μακάρων ἠλύσιον πεδίον.
cf. Kb. 366, 465 [1]).

B. (in sepulcris vel circa sepulcra.)

Mortuorum sedes sub terra quamvis esse putentur, non ab omnibus in regno collocantur animarum remoto atque abdito, quod homines variis rebus cogitatione fictis ornare solent. Et ex locis apud scriptores permultis et ex titulis apparet non paucos in ea fuisse sententia, ut in sepulcris vel circa sepulcra mortuos vel potius mortuorum animas aut semper aut saepe nonnullo temporis spatio interiecto versari putarent [2]). Quae opinio quamvis abhorreat ab alia illa, de qua supra disserui, in seiunctis imae terrae et longinquis locis sedes mortuorum quaerenti, tamen usque

---

1) In titulis Christianis vox paradisus Elysii vice fungitur.
cf. Bch. 669: Inde per eximios paradisi regnat odores,
Tempore continuo vernant ubi gramina rivis,
Expectatque deum superas quo surgat ad auras.
cf. Bch. 688, 705, 1447, 1347, 1369, 1371, 1387, 1406.

2) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 107: „vides, quanto haec in errore versentur: „portum esse corporis et requiescere in sepulcro putat (sc. Ennius) mortuum". Lactant. de inst. 2. 2. 6: „Vulgus existimat animas circa tumulos et corporum „suorum reliquias oberrare". Valentin. (Nov. Valent. 5 p. 111): licet „occasus necessitatem mens divina non sentiat, amant tamen animae sedem „corporum relictorum et nescio qua sorte rationis occultae sepulcri honore „laetantur". Platon. Phaedo 81 D: ἡ ψυχή, ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη. Praeterea Verg. Aen. 3. 67: „animamque „sepulcro condimus", cum Forbigeri adnot.: „Cogitandum est enim de illa „veterum opinione, ex qua Manes cum corporibus in sepulcris versari „putabantur, dum corpora putredine soluta essent (unde Manes elicere, „excire sepulcris et similia explicanda); insepultorum vero Manes vagari, „dum tumulo facto et inferiis oblatis quieti redderentur et sepulcro con„tinerentur" et ibi loca laudata, e. gr. Horat. Sat. 1. 8. 29.
Apud Buechelerum 1110: hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
1582: nunc levis (i. e. umbra) adque meo iaceo tumulo.
et Bch. 197, 1098, 1039, 1159, 1174, 1183.

Cholodniak. 1294: Hic est et non est; et saepe: hic so et non so, ad hanc rem non pertinere mihi videtur. cf. Bch. 428: umbra nec umbra.

Talis opinio nostris quoque temporibus invenitur in insulis Oceani Indici. cf. Het Animisme in den Indischen Archipel, door Alb. C. Kruyt. 's Gravenhage Mart. Nyhoff. 1906. II p. 323 sqq.: Het leven der ziel.

quaque cum ea confunditur, ita ut vel in eodem titulo utraque legatur.

Exemplis mihi liceat illustrare, quot variis modis haec opinio e titulis sepulcralibus eluceat.

I. Sepulcrum dicitur mortui esse *domus* [1]) et quidem domus *aeterna* [2]) in his:

Bch. 117: Hospes reseiste et aspice aeternam domu. (sic!)
Bch. 434: haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.
Bch. 662:

Haec aeterna domus, in qua nunc ipsa secura quiescis.

praeterea Bch. 55, 59, 71, 72, 88, 136, 225, (247), 653, 1005, 1092 (in praescr.), 1190, 1216, 1302, 1824 (aeternale = domus aeternalis).

Idem fere Bch. 1588: haec nobis domus perpetua.

Domus porro in his:

Bch. 84: memoriam habeto esse hanc mortalem domum.
Bch. 965: una domus cunctis, nec fugienda viris.

cf. 1097, 1273, 1293.

Bch. 1278 (titulus est institus): post animae requiem,
qui testis vitae fati sit lege futurus.
cum domus accipiet saxea corpus habens.

Praeterea Bch. 90, 96, 971, 1021, 1072, 1180, 1249, 1309, 1420, 1492 (in fastigio lapidis), 1488, 1551, 1555, 1619.

Conferantur Cholodniak. 36*d*: aeternamque domu (sic!) ut fecit superstes maritus; 36*i*, 211, 267*c*, 866, 874 (domus aeternalis), 890, 892 (carm. Christ.), 899, 1043, 303 [3]); C. I. L. VIII 1557: hic sepulta, set domi es (Bch. 116).

---

1) cf. Marquardt, Privatleben[2] p. 365: „Das Grab ist überhaupt nach „der übereinstimmenden Ansicht des Altertums eine Wohnung, in welche „der Verstorbene einzieht, um dort eine andere und bessere, aber doch „seinem früheren Leben entsprechende Existenz zu beginnen" et adnot. 6. Friedländer l. l. III[6] p. 132. Dieterich l. l. p. 46 et Petronius 71: „valde „enim falsum est, vivo quidem domos cultas esse, non curari eas, ubi diutius „nobis est habitandum". (Bch. 588: habitat).

2) cf. Dessau 8077, 8078, 8079, 8079*a*, 8080, 8081, 8082*a*, 8151, 8152, 8246, 8341.

3) cf. Cholodniak. 902: Constitui aeternum mihi meisque terminum.

Sedes quoque sepulcrum vocatur:

Bch. 1539: Militia insigni raptus trieteride sexta
sedibus his situs est miserabilis Heliodorus.

Bch. 588: Conditus infelix in ista sede perenni
Principius habitat.

Bch. 396: Fatalem hanc sedem Hippolite dedit ob pietatem
in commune sibi et gnato collibertoque.

Bch. 580: Tu quoque communi mansurus sede viator
paulum siste, precor.

Praeterea Bch. 96, 420, 428 (sedes atrae telluris), 443, 460, 573, 574, 612, 622, 629, 640 (de marmore sedes. Id. 1176), 641, 675 (sedes perpetua), 961, 1014 (sedes aeterna. Id. 467, 471, 1055, 1589), 1021, 1022, 1120, 1125 (piae sedes), 1126, 1167, 1185, 1216, 1284, 1358, 1555, 1583, 443, et in carm. Christian. 734, 741, 1423, 1445. cf. Dessau 8151: hanc sedem peti.

Hospitium.

Bch. 242:

Hospitium tibi hoc. invitus venio. veniundum est tamen.

Bch. 1247: et gratis aeterno perfruor hospitio.

Bch. 1583:

qui vivos (= vivus) multis in futurum suprema hospitia
donavit amicis.

Bch. 1249: hospitium nobis sufficit ista domus.

Bch. 1276: quid properas, hospes? requies tibi nota paratast.
hospitium hoc populo semper ubique patet.

Praeterea Bch. 89, 460, 856, 1559, 1731 et in carm. Christ. 302, 788, 789, 1427.

Aedes.

Bch. 1255:

hanc aedem posuit struxidque (sic!) novissima templa
Manibus et cineri posteriisque meis.

Casula.

Bch. 1583: hanc casulam in parvo fecit supremi temporis

sedem maiori cura quam impensa potuit.
cf. Petr. 111. 5.

Cubiculum.

Bch. 1563 (= Dessau 8401) Q. Pompeius et uxsor; conditivom cubiculum fecerunt [1]).

Eadem vox Bch. 815 in praescriptis: Januarius se vivo fec. sibi et Januariae coniugi suae hunc cubiculum, et in carm. Christian. Bch. 856, ubi vox *mansio* quoque legitur. (cf. Dessau 8076: domicilium sibi et suis).

Apud Graecos eadem opinio identidem recurrit, cf. Sophocl. Antig. 891:

ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον, ὦ κατασκαφὴς
οἴκησις ἀείφρουρος, οἷ πορεύομαι.

et in titulis A. P. VII. 330:

Τὴν σόρον, ἣν ἐσορᾷς, ζῶν Μάξιμος αὐτὸς ἑαυτῷ
θῆκεν, ὅπως ναίῃ παυσάμενος βιότου.

ibid. 320: *Ὀξεῖαι πάντῃ περὶ τὸν τάφον εἰσὶν ἄκανθαι*
καὶ σκόλοπες, βλάψεις τοὺς πόδας, ἢν προσίῃς·
Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω.

et apud Kaibelum 270 (infimae aetatis):

οὐ γάρ σοι θέμις ἐστὶν δόμων μ' ἐμῶν ἐξαπέλαυνιν [2]).

II. Illa opinione ducti multi *iam vivi sepulcrum tamquam domum futuram sibi facere solebant* [3]) idque et in titulorum praescriptis (aut subscriptis) et in ipsis titulis saepe memoraverunt [4]).

1) Vox conditivum pro sepulcro, Senec. epist. 60. 4: qui vero latitant et torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. cf. ibid. 82. 2 et Dessau 7992, 8116, 8401.

2) cf. I. G. R. fasc. III (1904) 646 Tomis repertum (cf. Tocilesco, Fouilles et recherches en Roumanie p. 227, fig. 108): *τὸν τάφον οἶκον ἔχω.*

3) De huius consuetudinis origine cf. Ed. Loch in Festschrift für Friedländer 1895 p. 284.

4) Non est obliviscendum desiderium nomen vel post mortem integrum servandi et omnium sermone celebrandi multos adduxisse, ut in sepulcris exstruendis curam adhiberent. cf. Friedländer l.l. III [6] p. 132 (Der Luxus der Todtenbestattungen): „Den so allgemeinen, oft bis zu Leidenschaft „gesteigerten Wunsch, im Andenken der Nachwelt fortzuleben und seinen

In adscriptis formulae usitatae hae sunt:

Bch. 225: Q. Fonteius Saturninus se vivo fecit et dedicavit.

Bch. 437: d. M. is cuius per capita versorum nomen declaratur, fecit se vibus (sic!) sibi et suis omnibus libertis libertabusque posterisque eorum.

Bch. 1190: v(ivus) f(ecit) Q. Vibius L. f. Sca(ptia) Maximus Smintius aerarius sexvir sibi et Maeminiae Q. f. Maximae uxori dulcissim(ae) et Q. Vibio Q. f. Vero f(ilio) et L. fratri suo.

cf. Bch. 499, 556, 807, 890, 1009, 1043, 1060, 1091, 1095, alia.

In ipsis titulis talia leguntur:

Bch. 90: Labore et cura vivos perfeci hanc domum.

Bch. 460: Hanc sedem longo placuit sacrare labori,
hanc requiem, fessos tandem qua conderet artus
Ulpius emeritis longaevi muneris annis.
ipse suo curam titulo dedit, ipse sepulcri
arbiter hospitium membris fatoque paravit.

Bch. 88:

Studium habui ut facerem viva mihi aeternam domum.

Bch. 437:

Maior adhuc hic laudis honor, potior quoque cunctis,
Ipse meis quod constitui tutamina membris
Talia, que (sic!) feci non tam mihi providus uni,
Heredum quoque cura fuit.

Bch. 484:

Dum sum Vitalis et vivo, ego feci sepulcrhum (sic!)
adque meos versus, dum transseo (sic!), perlego et ipse.

Bch. 1270: Constantine, tuo fini dum providus esses,
hunc tumulum fieri praecipis ipse tibi.

„Angehörigen ein solches Fortleben zu sichern, meinte man am besten „durch Bauten zu erreichen".

cf. Bch. 1269: Vivos mi feci, ne post me lentius heres
conderet *exsiguo* busta suprema rogo.

Bch. 1552: iam tamen inventa est blandae rationis imago
per quam prolatos homines in tempora plura
longior excipiat memoratio multaque servet
secum per titulos mansuris fortius annis. sqq. (1196. 11)

Praeterea Bch. 59, 71, 89, 117, 136, 137, 471, 574, 1415–1555, 1563, 1583, 1593; Dessau 8072 sqq. et titulus bilinguis I. G. R. III 665 (698).

Simillima in titulis Graecis.

A. P. VII 228: *Αὐτῷ καὶ τεκέεσσι γυναικί τε τύμβον ἔδειμεν*
Ἀνδροτίων· οὔπω δ'οὐδενός εἰμι τάφος.

ibid. 330: *Τὴν σόρον, ἣν ἐσορᾷς, ζῶν Μάξιμος αὐτὸς ἑαυτῷ*
θῆκεν, ὅπως ναίῃ παυσάμενος βιότου.

Kb. 326: Aurelius Philippus *ζῶν ἔτι κατεσκεύασεν ἑαυτῷ καὶ γυναικὶ καὶ τέκνοις ἑαυτοῦ.*

C. I. G. 4306: *τὸ μνῆμα τόδε ἐποιήσατο Σιδάριος Παρμένοντος υἱὸς ἑαυτῷ καὶ τῇ γυναικὶ καὶ υἱῷ Πυβιάλῃ.*

quorum duo postrema in praescriptis leguntur.

III. Notum est, quanta cura Romani vulgo sepulcra tueri et colere solerent [1]) quantamque darent operam ut integra manerent neve violarentur [2]); quae efficere hoc modo conabantur, ut in sepulcrorum inscriptionibus *aut* rogarent praeterire nec quidquam mali facere *aut* admonerent, quae omnibus hominibus post mortem acciderent et *τυμβωρύχοις* parata essent iisque varias minarentur poenas *aut* deos

1) Hanc curam vetustissimam esse et sepulcra iam Solonis aetate violari idque vetari, apparet ex Cic. leg. 2. 64: „De sepulcris autem nihil est „apud Solonem amplius quam: ne quis ea deleat neve alienum inferat: „poenaque est si quis bustum (nam id appellari puto *τύμβον*) aut monu„mentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit". De hac re copiosius Rohde l.l. II[3] p. 340: „Gegen Profanirung dieses Familienheiligthums „durch Einbettung fremder Leichen oder durch Beraubung des Grabgewölbes, „wie sie im sinkenden Alterthum immer häufiger vorkam, suchen sich die „Berechtigten zu sichern durch religiöse und bürgerlich rechtliche Schutz„mittel", et p. 344: „Auf jede Weise suchte man jetzt die stärker gefährdete „Heiligkeit und Ruhe des Grabes zu schützen. Das Grab ist nicht eine „leere Moderhöhle: *die Seelen der Todten wohnen in ihm*". cf. p. 340 adnot. 5 et pgg. 341—344. c. adnott.

2) Conferri iubeo Cic. Tusc. disp. 1. 12. 27: „idque (sc. excessu vitae „non sic deleri hominem, ut funditus interiret) cum multis aliis rebus, tum „e pontificio iure et e caerimoniis sepulcrorum intellegi licet, quas maxumis „ingeniis praediti nec tanta cura coluissent nec violatas tam inexpiabili „religione sanxissent, nisi...." cf. Verg. Aen. 4. 427 (Bch. 639. 1), Ovid. Metam. 1. 387.

inferos invocarent custodes et vindices. Quae mihi videntur ex eadem opinione repetenda esse, mortuos in sepulcris habitare et quiescere [1]) et cavendum esse, ne ulla huius quietis fiat perturbatio [2]).

Rogatur ne sepulcro ulla vis afferatur in his titulis:

Bch. 74: rogo te, viator, monumento huic nil male feceris.

Bch. 198: Rogo per deos Stygios, ossa nostra, quisquis es
homo, non violes, non trasieris hunc locum.

Bch. 1145:

Te rogo, praeteries (sic!), ut parcas calcare iacente(m),
infantis miserae membra iacentis humo.

Bch. 1224: Filius hic situs est Iuli Bassi Bassianus,
annos qui vixit X et XIII soles;
quem quoniam Manes ut alumnum di rapuerunt,
ne calcare velis nec grabis (sic!) esse loco.

Bch. 1335: istud nulla manus temptet violare sepulcrum.

Bch. 1813: da, quicumque legis, fletus et parce sepulcro.

cf. Bch. 1006, 1120, 1196, 1418 (= 1432), 1532 [3]).

Simillima Cholodniak. 1247: nolei violare. 1255 *g*: rogo ne velis tribus sepulchris molestari.

Kb. 119: *στήλλῃ κέκλιμαι*
ἣν παρίοις εὔφημος ἀεὶ, ξένε, μηδ' ἐπὶ λύμῃ
χεῖρα βάλοις [4]).

Idem saepe rogatur, additis verbis, quae bona aut mala morem gerenti aut non gerenti precantur.

---

1) cf. Bch. 1583: (amicos rogat mortuus) vitent homines avaros,
audaces monumentorum sacrilogos.
per quos decessis nunquam requiescere licet.

2) Accedebat metus mortuorum, ne sedem violatam ulciscerentur, nam rite sepultorum vis divina esse credebatur. cf. Kb. 119: *φθιμένων ὠκυτάτη Νέμεσις.*

3) cf. carmen mirum Bch. 838: Hospes, ad hunc tumulum ne meias, ossa precantur tecta hominis. Dessau 8202, 8203, 8207 *b*.

4) cf. Pseudophocylidea 100: *μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ' ἀθέατα δείξῃς ἠελίῳ.* Non constat an recte comparetur A. P. VII 403:

ἀλλὰ λίθους ἐπὶ τύμβον, ὁδοιπόρε, μήτε σὺ βάλλε
μήτ' ἄλλον πείσῃς· σῆμα λέλογχε νέκυς.

Bch. 197: Ita levis incumbat terra defuncto tibi
vel assint quieti cineribus Manes tuis,
rogo ne sepulcri umbras violare audeas.

Bch. 215: his parce tumulis ingredi pedem saepe:
sic nunquam doleas atque triste suspires,
quantum doloris titulus iste testatur.

Bch. 1101: Hic tumulus Fructi sacer est, quem laedere noli,
hospes: sic votis ipse fruare tuis.

cf. Bch. 836, 1178, 1181, 1286, 1467, 1468, (1469) [1]).

Kb. 248: ὅστις ἐμεῦ στήλλαν καὶ ἐμὸν λίθον οὐκ ἀδικήσει,
οὗτος τὰν αὐτὰν μοῖραν ἐμοὶ λαχέτω.

Poenam precantur harum inscriptionum verba:

Bch. 1415: qui volt violare,
cernet quo iaceat, poena manebit eum.

Bch. 1799: Quisque (sic!) huic titulo manus intulerit, sale
et aqua desideret.

ubi vid., quae adnotavit Buechelerus.

Bch. 1581: itaque tibi dico, qui nescis dulce voce dicere filii,
ne vellis cupidus poene manere male.

ubi „male manere" idem videtur significare ac malis consiliis vel propositis prope sepulcrum commorari, ut scilicet violetur.

Comparentur

Cholodniak. 436:

si quis titulo manus intulerit, non illunc recipiat tellus.

ibid. 73: hospes, ita post obitum sit tibe (sic!) terra levis, ut tu hic nihil laeseris, aut si quis laeserit, nec superis comprobetur nec inferi recipiant et sit ei terra gravis.

C. I. 3843: τίς ἂν δὲ χεῖρα προσαγάγῃ βαρύφθονον
ταῖς αὐταῖς περιπέσοιτο συμφοραῖς.

Similia C. I. add. III 3827, C. I. 3893.

---

1) Bch. 837: „parce, piae Manes, ita te tua vota sequantur", huc quoque pertinet, licet de carminis forma non constet. (Cholodniak. 652: pias, cf. Bch. 1468).

cf. Bch. 1308: quisque (sic!) huic tumulo possuit ardente(m) lucernam,
illius cineres aurea terra tegat.

Kb. 502*c*: *ἣν γὰρ θίγῃ τις εἰς ἄνοιξιν τὴν ἐμήν,*
μήτ' ἐλπίδων ὄναιτο, μὴ τέκνων σπορᾶς κτλ.

cf. Kb. 166, 406. Comminationes praeterea leguntur Dessau 8181, 8183 (= Bch. 1299), 8184, 8185, 8195.

Admonitio legitur in his titulis:

Bch. 192: ab alio speres, altero (sic!) quod feceris [1]).

Bch. 857: te, quicumque legis, pietatis nomine adhortor,
cum sis mortalis, quae sint mortalia cures,
et patrias admitte preces et parce sepulcro.

Bch. 1021: sacratam cunctis sedem ne laede viator:
hanc tibi nascenti fata dedere domum.

Bch. 1583: homo, violare noli si te moriturum putas.

Vindices invocantur dei in his:

Bch. 199: Illi deos iratos (sc. habeant), quos omnis colunt,
si quis de eo sepulcro quid violaverit.

Bch. 966 (in praescriptis): qui hoc sephulcrum violarit, deos superos inferosque iratos habeat [2]).

Conferantur Dessau 8173:
ne tangito, o mortalis, reverere deos manes.

id. 8180: habeat Isidem iratam.

Lebas V 784: *ὃς ἂν προσοίσει χεῖρα τὴν βαρύφθονον,*
Ἑκάτης μελαίνης περιπέσοιτο δαίμοσιν [3]).

Addo, ne quid praetermittam, in Graecis potissimum

---

1) Adnotat Buechelerus: „in sepulcris haec incisa ad tutelam eorum spectant". Bch. 95 in subscr.: quidquid nobis feceris, idem tibi speres, et Dessau 8257: quod tibi fieri non vis, alio ne feceris.

2) cf. Bch. 193. Dessau 8258: Rogo te per dm. omnpm. et I. X. M. X ρ I. Nazarenum, ne me tangas nec sepulcrum meum violis (sic!), nam ante tribunal aeterni iudicis mecum causam dicis (= dices). Ex Christ inscript. talia contulit Gatti. Röm. Quartalschr. 6. 1892 p. 267 sqq.

3) Romanorum nota est consuetudo nomina candidatorum muris inscribendi, cuius rei Pompeiani praesertim parietes exempla proferunt multa. Itaque inscriptionibus hic illic cavebatur, ne nomina insculpta inquinarent monumenta. cf. Bch. 194, 195, 196, 835. Monumento sepulcrali sic cavetur Bch. 1466:

parce opus hoc, scriptor, tituli quod luctibus urgent:
sic tua praetores saepe manus referat.

Dessau 8205, 8206 (= Bch. 195), 8207, 8207*a* (= Bch. 196).

titulis adscribi saepe multam *τυμβωρύχοις* solvendam, cuius rei exemplum in Bch. carm. 456 subscripto legitur: „si „quis vero hunc sarcofagum aperuerit, inferre debebit „fisc(o ... a)uri pondo" (cetera desunt) [1].

cf. Kb. 337, 297*a* in add, 339, 393, 356, 520, 712, 229.

De multis violationum cf. Dessau 8209 sqq., I. G. R. III 661, 804, 805, 806, 807, 811, 823, 841, 842.

IV. Usitatissima in titulis verba leguntur ea, quibus exoptatur mortuis, ut *sit iis terra levis*, ut *super ossa leviter quiescat s. residat terra.*

Qualia verba confirmare mihi videntur opinionem supra memoratam. Quid enim significarent, nisi qui conscriberent et ipsos adduxisset haec ratio, quod in ipsis sepulcris essent animae sensu praeditae, quas terrae vel lapis onus posset gravare? [2]) Non omnes hac opinione ductos talia conscripsisse aliosque ut sane fieri solet, alios imitatos esse concedo; constat vero talia verba sententia eiusmodi nata esse [3]).

Tritissima est forma: sit tibi terra levis [4]).

Bch. 451: sit tibi terra levis, cineres quoque flore tegantur.

Bch. 995 A (in dialogo, mortuae respondet viator):
sit tibi terra levis, mulier dignissima vita
quaeque tuis olim perfruerere bonis.

Bch. 1040: hoc Stabilis tuus eheu quo possum munere parvo
prosequor atque opto: sit tibi terra levis.

---

1) Simillimum Dessau 8102.

2) In Christianis titulis non leguntur verba, quo probabilior fit res.

3) cf. Bch. 473: (memet superi) tumulo clusere gravi.
At contra Bch. 453: non gravis hic texit tumulus te, Punica virgo.
Bch. 477: est mihi terra levis merito.
A. P. VII 658: „χαιρέτω οὗτος ὁ τύμβος", ἐρεῖς, „ἐπεὶ Εὐρυμέδοντος κεῖται τῆς ἱερῆς κοῦφος ὑπὲρ κεφαλῆς".
Kb. 559: Ποπιλίης τάφος οὗτος· ἀνὴρ δ' ἐμὸς αὐτὸν ἔτευξεν· κούφη τοι γὰρ ἐμοὶ πέλεται κόνις.

4) cf. Bch. 1066: tellus levis. Cholodniak. 3, 6, 299, 491 et caput XIII: Vota et preces.

Bch. 1324: sed quod aput Manes sensus valet, impraeco illae
ereptaeque animae, sit quoque terra levis.

quocum carmine conferas Bch. 1329 (= 1497): set quia sunt Manes, sit tibi terra levis, et Bch. 1328: si sunt Manes, sit tibi terra levis. Praeterea Bch. 486, 1064, 1075, 1088, 1101, 1103, 1104, 1121, 1124, 1130, 1138 (sit pia terra levis), 1194, 1308, 1313, 1351, 1460 (= 1461), 1462, 1482.

Primae litterae s. t. t. l. notando suffecerunt Bch. 125, 1123, 1451, 1453, 1454; saepius in subscriptis: Bch. 173, 445, 541, 829, 966, 1069, 1140, 1156, 1158.

Idem significatur aliis his formis:

Bch. 429: tu, qui legeisti, ne sit grave dicere, quaeso,
Crispinae ut nullum terrae sit pondus gravatum.

Bch. 1017:
his (sc. duobus filiis) tumulum parvom mater cum carmine fecit,
ingenio quorum terram optate levem.

Bch. 1020: sit tibi terra quies.

Bch. 1028: sit tibi perpetuo terra levis tumulo. cf. 1155. 6.

Bch. 1039: (terra parens) nullum onus incumbas.

Bch. 1141 (miserae matris vox ultima fuit ad tumulum filiae):
hanc humus excepit, leviter precor illa prematque
infantem.

Bch. 1480 (mater rogat ut dicas):
terra sit haec Petali non onerosa, precor.

cf. Bch. 80: flet pater et rogat tituli fidem,
ut omnis aetas optet aei (i.e. filio) terram levem.

Addantur:

Bch. 1470 (terra, optestor):
tenerae aetati ne gravis esse velis.

Simillima sunt Bch. 1152, 1539, 1541, 1542 (legitur: lapis, optestor); cf. Bch. 1540: ne puellae tenerae gravis esse velis.

Bch. 1471 (lapis, optestor): *florenti* aetati ne gravis esse velis.
Bch. 1472: *mediae* aetati ne gravis esse velis.

Comparentur haec Graeca:

A. P. VII 461: *Παμμῆτορ γῆ, χαῖρε· σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σέ*
Αἰσιγένην καὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρής.

ibid. 628: ὦ χθὼν σηματόεσσα . . .
πaιδὶ σὺ μὲν κούφη κεῖσο.
ibid. 321: (γαῖα φίλη) σὺ πρηεῖα κατὰ κροτάφου πολιοῖο κεῖσο.
ibid. 470: λάβοι νύ σε βῶλος ἐλαφρή.
ibid. 476: ἀλλά σε γουνοῦμαι, Γᾶ παντρόφε, τὰν πανόδυρτον
ἠρέμα σοῖς κόλποις, μᾶτερ, ἐναγκάλισαι.
cf. ibid. 372, 401, 460, 708.
ibid. 554:
στήλη (cf. lapis) φθιμένῳ κούφη μένε. Vox στήλη quoque 655.
Praeterea Kb. 569:
ἀλλὰ σὺ γαῖα πέλοις ἀγαθὴ κούφη τ' Ἀκυλείνῳ.
cf. Kb. *222b* in praefat., 467, 329; 315 et 551 (κούφη κόνις), 103 (βῶλος κούφα).
Kb. 430: ἀλλὰ σύ, ὦ παροδεῖτα ἰδὼν ἀγαθοῦ τάφον ἀνδρός
τόνδε κατευφημῶν τοῖα φράσας ἄπιθι·
γαῖαν ἔχοις ἐλαφρὰν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. cf. 195.
Kb. 538: ἀλλ' ἔστω σοι ὁ πᾶς κοῦφος λίθος (cf. lapis) [1]).

Ex illis eius modi carminibus fluxerunt alia, quae quamvis a propria sententia paulo abhorreant, iure inde derivantur. Sunt ea, quae non ipsis mortuis sed ossibus eorum sive cineribus terram sive lapidem exoptent levem; quod facillime explicatur, cum ossa et cineres ipsos mortuos facile indicare possint. Itaque minime impedimur, quominus et huius generis carmina in eorum habeamus numero, quae quod de veterum opinione divulgata dictum est, comprobent.

Legimus apud Buechelerum haec:
Bch. 1033: Terpsichorenis tellus contegat ossa levis.
Bch. 1038: Terra levi tumulo levior, ne degravet ossa.
cf. 1039, 1043.

Valde trita sunt:
Bch. 1047: Et te, Terra, precor, leviter super ossa residas.
Simillima Bch. 1048, 1121, 1153, 1471, 1473, 1474, 1475, 1538, 1542.

---

1) cf. Rohde l. l. II³ p. 381 c. adnott, Euripid. Alc. 463, Lucian. de luct. 18, Tibull. 2. 6. 30, Propert. 1. 17. 24, Iuven. 7. 207, Mart. epigr. 1. 89.

Bch. 1152:

te, lapis (s. terra), obtestor, levis ut super ossa quiescas.

Simillima Bch. 1192, 1470, 1472, 1539, 1541.

Bch. 1195: [...] cineri terra sit usque levis.

Bch. 1242: et sit humus cineri non onerosa levi.

Conferantur praeterea:

Bch. 1075: (lapis) ne preme, nam teneri corporis ossa tegis.

Bch. 1315: (terra) sis levis in tenero corpore deposita.

Bch. 1191: sitque levis membris terra molesta tuis [1]).

Comparentur

A. P. VII 632:

ἀλλὰ σὺ νηπιάχου δμωός, κόνι, μήποτε βρίθειν ὀστέα.

Tibull. 2. 4. 50: terraque securae sit super ossa levis.

Multa carmina ipsum mortuum fingunt rogantem, ut sibi terram levem dicant propinqui, amici, viatores.

Exempla sunt haec:

Bch. 55: rogo, ut discedens terram mihi dicas levem.

Bch. 133: Quisque praeteriens titulum scribtum legeris,
tactus pietate hoc praecor ut dicas: Januaria,
sit tibi terra levis.

Bch. 479: dic, rogo, praeteriens hospes:
sit t. t. levis et moliter (sic!) ossa quiescant.

Bch. 1330:

terris quicumque viator transieris et dixeris huic tumulo
„Avito, have, sit tibi terra levis",
et post obitum ite (sic!) tui sit tibi terra levis.

praeterea Bch. 474 (= 475 = 476), 562, 647, 970, 1036, 1082, 1100, 1125, 1193, 1255, 1316, 1330, 1451—1457, 1463, 1537, 1566, 1797.

Rogantur Manes Bch. 1117:

Si pietas prodest quiquam (sic!), vixisse modeste,
vos precor o Manes, sit mihi terra levis.

---

1) Praecedit: ossa tuis urnis optamus dulce quiescant, unde apparet quantum sit minuta vis prioris sententiae. cf. Bch. 1029: Tellus, huic tumulo ne gravis esse velis.

Ipse mortuus, ut sibi contingat tale beneficium, rogat:

Bch. 1321: qui nulli gravis extiteram, dum vita manebat,
hac functo aeternum sit mihi terra levis.

Bch. 1579: Lupensia hic ego sum inlata Consutia Rufa,
cuius ossa leviter tegat terra mate (i. e. mater).

cf. Bch. 1220, 1258, 1269, 1318 [1]).

V. Occurrit eadem sententia legenti permulta carmina ea, in quibus propinqui sive viatores tamquam auribus percipientem *mortuum alloquuntur et salutant* [2]). Quandoquidem mortuus, ut multorum fert opinio, habitat sepulcra viis saepenumero finitima, gratissimae [3]) ei sunt tales salutationes, quod vinculum nondum solutum esse indicant, quo vitae est coniunctus [4]).

Bch. 424: Salve care mihi coniunx, dilecta propago.
condite perpetuis tumulis.

Bch. 610: Aionii salve, doleas ne fata suprema.

Bch. 1308: Have Septima, sit tibi terra levis.

Bch. 1558: have, puella, multum adque in aevum vale.

---

1) De carmine Bch. 128 non constat, quo modo sit explicandum. Intellegi potest dialogi forma, ita ut viator dicat: „Bene sit tibi, qui iacis intus" et mortuus respondere fingatur: „et tu qui trasis et leges hunc titulum, opta „tibi terra leve". Rectius autem intellegi videntur verba propinqui alicuius vel eius qui scripsit titulum mortuo benedicentis viatoremque admonentis, ut idem faciat.

2) cf. Rohde l. l. II[3] p. 345.

3) cf. Bch. 431: Tu, pia tu mater cineres operire memento.
saepius in nati nomen clamato iacentis
verba meo cineri saltem gratissima dona.

et Bch. 1184. 9, 1223. 10.

A. P. VII 414: *καὶ καπυρὸν* (i. e. alta voce) *γελάσας παραμείβεο καὶ φίλον ῥῆμ' ἐπ' ἐμοὶ. εἰπών*

ibid. 450: *ἀλλὰ προσειπεῖν*
τλῆθί με καὶ στήλης πλησίον, ὦνερ, ἴθι.

et ibid. 417, 656.

Contra A. P. VII 318 (*εἰς μισάνθρωπον*):
Μὴ χαίρειν εἴπῃς με, κακὸν κέαρ, ἀλλὰ πάρελθε·
ἶσον ἐμοὶ χαίρειν ἐστὶ τὸ μὴ σ' ἀλέγειν.

Simile carmen ibid. 316. cf. Bch. 443 in initio.

4) cf. Kb. 204.

Bch. 1615: et saluto te, Brea dulcissima.
Bch. 1791: Havete Manes Pontiae Dionysiae.
praeterea Bch. 734, 1299, 1556, 92 et in praescript. 447, 595, 1049, 1092, 1259, 1493. cf. Cholodniak. 36*d*: Ulpia Celerina dulcis habe (i. e. ave), et 114*a*, 289*a*, 472*a*, 504, 505, 731, 1165*a.b.c*, 1182*a*, 1185*g*, 1244*a*, 1245, 1246.
A. P. VII 220: *δάκρυ δ' ἐπισπείσας „Χαίροις, γύναι· ἐκ γὰρ ἀκουῆς*
οἰκτείρω σε", ἔφην, „ἣν πάρος οὐκ ἰδόμην".
ibid. 423: *ἀλλ' ὦνερ, καὶ χαῖρε καὶ οἰχομένοισιν ἐς Ἅιδαν*
τὰν αὐτὰν μύθων αὖθις ὄπαζε χάριν.
ibid. 41, 43, 79, 143, 254, 355, 407, 421, 551, et apud Kaibelum sescenties [1]).

Non solum salutatur mortuus, sed etiam varia ei precantur superstites, inter quae usitatissimum est, quod legitur et in titulis et in subscriptis: *ossa tibi bene quiescant*, e. gr. Bch. 1191, 1242, 1288, 1609, 1613, 1788. cf. Bch. 1033 et Cholodniak. 84.

Saepe ipse quoque mortuus fingitur et loquens [2]) et respondens, ita ut nonnunquam oriatur dialogus; cuius rei cum longum sit omnia afferre exempla, quorum magna multitudo est, eligam si quae ullius mihi videntur esse momenti.

a. Ne sui titulive immemores praetereant viatores (sive hospites, ut vulgo legitur) neve ignotae sint vitae calamitates, ut misericordia moveatur, fortunave secunda, ut laudibus nomen celebretur, mortuus rogat.

Forma simplex legitur
Bch. 73 (cf. 83. 84):
Hospes resiste et quae sum in monumento lege.
sed multa et varia sunt genera, quorum praecipua haec sunt:

---

1) cf. Hom. Iliad. 23. 19, Euripid. Alc. 626, Catull. 101. 10, Verg. Aen. 5. 80 et passim.

2) cf. Bch. 1098: at viridi requiesce viator in herba
neu fuge si tecum coeperit umbra loqui.

Bch. 55: Heus oculo errante quei aspicis leti domus,
morare gressum et titulum nostrum perlege.

Bch. 63: Hospes resiste et tumulum hunc excelsum aspice.

Bch. 434: Tu pede qui stricto vadis per semita, viator,
siste rogo titulumque meum ne spreveris oro.

Bch. 1007: Praeteriens quicumque legis, consiste viator
et vide quam indigne raptus inane querar.

cf. Bch. 1083, 1084, 1539, 1540, 1541, 1542; 125, 502.

Bch. 995: Tu qui secura procedis mente, parumper
siste gradum quaeso verbaque pauca lege [1]).

cf. Bch. 77, 118, 1055, 1125, 1537 (ne molestum sit).

Bch. 429:

Quis quis es, en hospes quaeso lege — seic bene vivas —
quae fuerim quove in spatio mors me invida traxit.

Bch. 1067: Sic tibi contingat feliciter ire, viator,
immatura meo perlege fata loco.

cf. Bch. 555, 1111, 1013, 1309, 1533.

Bch. 1603: Transgrediens paulum pede, quaeso, resiste viator
atque lege quae sine fletu reticere nequibis.

cf. Bch. 466, 1122 et praeterea 52, 76, 117, 123, 219, 437, 438, 457, 465, 475, 477, 513, (756), 980, 986, 1005, 1191, 1195, 1196, 1198, 1205, 1212, 1305, 1319, 1327, 1545, 1549 [2]).

Comparentur

Cholodniak. 1075*a*:

Quamvis festinanti gradu carpas iter, resiste paulum et lege casum.

A. P. VII 337: *Μή με θοῶς, κύδιστε, παρέρχεο τύμβον, ὁδῖτα,
σοῖσιν ἀκοιμήτοις ποσσί, κελευθοπόρε·
δερκόμενος δ' ἐρέεινε, τίς ἢ πόθεν;*

Kb. 288: *κἂν τροχάδην βαίνῃς, Φίλε ὦ παροδεῖτα, βαιὸν ἐπίσχου.*

ibid. 646: *μή μου παρέλθῃς τὸ ἐπίγραμμα, ὁδοιπόρε,
ἀλλὰ σταθεὶς ἄκουε, καὶ μαθὼν ἄπι.*

---

1) cf. Bch. 1142: accipiat paucis, ne sit mora longior aequo.

2) cf. Bch. 53: Rogat ut resistas, hospes, te hic tacitus lapis,
dum ostendit quod mandavit, quoius umbram tegit.

ibid. 186: *εἰ φίλε πυνθάνεαι τίς ἔφυν, ξένε, τίς δ' ἐγεννήθην,*
ὦ παροδεῖτα, μάθε στὰς ὀλίγον πρὸ τάφων.

b. Utrumque mortuus et rogat, ut sibi aut superstitibus quid contingat, et aliquid precatur, si quos in vita reliquit moriens aut viatoribus.

Bch. 428: nunc tibi ne grave sit, felix quicumque viator,
dicere: si sapiunt aliquid post funera Manes,
Antoni et Proculi molliter ossa cubent.

Bch. 1223: sed potius optes mihi quetos (sic) optima Manes
spargas adque mero tumulum mihi in aevo.

Idem Bch. 479, 1327, 1458; 971, 1012, 1237. cf. A. P. VII 667, Kb. 127, 184, 334, 346, 363, 559.

Bch. 971: at tu, dulcis soror, exstincto me solare parentes.

Bch. 1080: parcite Fata meis, valeant fratresque sorores.
sit tamen in vestro pectore cura mei.

Bch. 1122: nomine Acilianus, quo nomine nunc soror opto
vivat et a fatis sit procul usque meis.

Bch. 995 (loquitur uxor mortua):
quodque mihi eripuit mors immatura iuventae,
id tibi victuro proroget ulterius.

Bch. 1256:
vos precor hoc, superi, ut vitam post me servetis amicis,
ut possint nostris Bacchum miscere favillis
floribus et spargant saepius umbra(m) levem.

Bch. 1287: Opto meae caste contingat vivere natae
ut nostro exemplo discat amare virum.

Bch. 385: care marite mihi et dulcissima nata valete,
et memores nostris semper date iusta sepulcris.

Bch. 63: valebis hospes, opto ut seis felicior.
Bch. 84: valete ad superos. vivitis vitam optumam.
Bch. 141: vos superi bene facite, diu vivite et venite.
Bch. 1100: sis felix, valeas et te tua servet origo [1]).

1) Omitto carmina permulta, in quibus tantum legitur: vale, valete, valeas. cf. Cholodniak. 1075*a*: ego, Antoninus, umbra tenuis, have tibi dico meator. Kb. 22, 23, 25: *χαίρετε οἱ παριόντες.*

cf. Bch. 489 et usitatissimum:

Bch. 373: Vivite felices, quibus est data vita fruenda [1]).
Simillima 1091, 1095, 1117.

Bch. 129 (= 130): Quod quisque vestrum mortuo optarit mihi,
id illi eveniat semper vivo et mortuo [2]).

cf. praeterea Bch. 109, 112, 1067, 1111, 1330, 1459, 1533, 1553 et haec Graeca:

Kb. 236: — *μᾶλλον δὲ κλαύσας, πάροδε, τὴν ἐμὴν τύχην*
βαῖν' οὗ Φίλον σοι καὶ τύχοις ὅσων ἐθέλεις.

cf. Kb. 190: *τύγχανέ θ' ὧν ἐθέλεις.* Id. 205, 218, 237.

A. P. VII 267: *ἀλλὰ καὶ οὕτως*
χαίρετε, Νικήτην οἵτινες οἰκτίρετε.

et ibid. 310, 417, 581, 584.

c. Nonnunquam mortui artis optime vivendi superstitibus auctores fiunt, bene iis suadent variaque praecipiunt, ut aut hilari atque animo laeto aut modeste vivant neve mortales esse unquam obliviscantur. In quibus admonendis parum intellegit, qui rem in serium semper versam esse putet, cum non sine petulantia quadam ac levitate interdum tractentur, quae ad mortem pertinent [3]). Et haec praeci-

---

1) cf. Tibull. 3. 5. 31: vivite felices, memores et vivite nostri, et Verg. Aen. 3. 493 valedicendi formula.

2) cf. carm. Christian. Bch. 713:
tu rogo, quisquis ades, prece nos memorare benigna
cunta (sic!) recepturum te noscens congrua factis.

Kb. 248: *ὅστις ἐμεῦ στήλλαν καὶ ἐμὸν λίθον οὐκ ἀδικήσει*
οὗτος τὰν αὐτὰν μοῖραν ἐμοὶ λαχέτω.

et Simonides apud Bgk. P. L. G. III[3] p. 1161.

3) Friedländer l. l. III[6] p. 742: „da überhaupt die Empfindung der an-„tiken Welt von der modernen in Bezug auf Grab und Tod eben in mehr „als einer Beziehung wesentlich verschieden war: jene fand selbst scherz-„hafte Äusserungen mit dem Ernste des Grabes nicht unvereinbar".

cf. Bch. 1247: Quod superest homini, requiescunt dulciter ossa,
nec sum sollicitus ne subito esuriam,
et podagram careo nec sum pensionibus arra
et gratis aeterno perfruor hospitio.

(arra i. e. pignus ad care habitandum spectare videtur).

Bch. 188: Eo cupidius perpoto in monumento meo,
quod dormiendum et permanendum hĕic est mihi.

piendi vulgo est ratio: mortem si non omnium rerum finem, at saltem vitae voluptatibus ac commodis imponere modum; vita igitur fruendum genioque esse indulgendum, quoad vivere liceat.

Mortales sumus hominibusque moriendum est.

Bch. 191: sumus mortales, immortales non sumus.

Bch. 1544: Tu, qui adstitisti, mei monumenti, hospes, memor
ambula et te esse hominem fac perpetuo cogites [1]).

Simillimum
Bch. 389:
et tu mortalem te sic natum esse memento. cf. vs. 5 [2]).
cf. Bch. 500, 857; in carm. Christian. 756:
mors, consuetudo propria natis.

Bch. 1004: vivite felices, moneo; mors omnibus instat.
exsemplum a nobis discite qui legitis.

Simillimum fere 485, 802, 803, 486.

Simile carmen Bch. 1081:
Vivite felices, quibus est data longior aetas,
nam fatum nobis omnibus instat idem.

cf. Bch. 859: Vivite felices nostrisque profundite Manis
et memores ut sitis nobiscum vos esse futuros.

i. e. profundite lacrimas nostris Manibus.

Comparentur Graeca:

A. P. VII 452: κοινὸς· πᾶσι λιμὴν 'Αίδης. cf. 342.
Kb. 282: μοιρῶν γὰρ μίτος (filum) πάντας καλεῖ.
Kb. 367: (Πλούτων) ᾧ χωρὶς μακάρων πάντες ὀφειλόμεθα [3]).
cf. 35, 256, 371.

Bch. 856 (sub signo cubantis poculumque manu tenentis):
ego sum discumbens ut me videtis.
sic et aput superos annis quibus fata dedere
animulam colui, nec defuit umqua Lyaeus.
Bch. 1318: vixi Lucrinis, potabi saepe Falernum,
balnia vina Venus mecum senuere per annos.
cf. Bch. 190, 1499 et A P. VII 329, 452.

1) cf. Bch. 241: Cogitato te hominesse et scito: moriendust. vale. (71. 5.)

2) cf. Bch. 808: Qui legis hunc titulum, mortalem te esse memento.

3) cf. Senec. ad Marc. de consol. 11. 2: Mortalis nata es, mortales pepe-

Alia forma est haec:

Bch. 119 (cf. 120):

Heus tu, viator lasse, qui me praetereis,
cum diu ambulareis, tamen *hoc veniundum est tibi.*

cf. 83, 242, 1097; 1084 (hoc omnes veniunt).

Bch. 1542: Nolite dolere parentes, *moriendum fuit.*

Idem 1543. cf. 68, 118, 241 [1]).

Notissima est haec forma:

Bch. 146: Noli dolere, mamma, *faciendum fuit.*

Simillima Bch. 147, (148, 149), 150, 1536, 1537, 1538. cf. 45.

Cholodniak. 461: nolite dolere, parentes, hoc faciendum fuit.

Mors sua quemque manet; in maximis vero doloribus *hoc solatio* utuntur propinqui superstites, quod idem omnibus vel potentissimis accidit.

Bch. 610: Aionii salve, doleas ne fata suprema,
omnes mortales eadem nam sorte tenemur.

Bch. 823: Desine iam mater lacrimis renovare querellas,
namque dolor talis non tibi contigit uni.

Simillima leguntur Bch. 970, 971, additis his verbis:
haec eadem et magnis regibus acciderunt.

Bch. 1068: desine soror me iam flere sepulcro:
hoc etiam multis regibus hora tulit.

Conferantur:

Kb. 502*b*: *ἧς δ' ἔλαχέν τις*
μοίρης, ταύτην ἐκτελέσει· καὶ γὰρ βασιλῆες.

Kb. 191: *τί θαῦμα; καὶ Θέτις Αἰακίδην κλαῦσεν ἀποφθίμενον.*

A. P. VII 157: *ἔθανεν χὠ τριγέρων Πύλιος.*

Kb. 298: *καὶ μακάρων παῖδες ἔνερθεν ἔβαν.*

Dessau 8170:

Εὐψύχι Μίδων· οὐδεὶς ἀθάνατος· καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἀπέθανε.

---

risti. Decessit filius tuus. huc omnis ista quae in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba dispari gradu vadit.
cf. Bch. 1310: huc omnis fatis turba relicta ruit.
Bch. 1489: nascentes morimur finisque ab origine pendet.
et Bch. 516, 998, 1542, 1543.

1) cf. Senec. ad Gallionem de remediis fortuitorum I. 2, 3; II (morieris).

Dessau 8169 et I. G. R. fasc. I 241.

Eadem sententia identidem in Consolationibus occurrit, unde originem ducere verisimilius est. Cf. Senec. ad Marc. de consol. 12. 4: Senserunt ista magni duces, senserunt principes. (cf. Lucret. 3. 1024, sqq.).

Addo Bch. 1211: sed quoniam multi talem sensere dolorem
nec quisquam leti vincere vim potuit,
desinite extinctum dulces me flere parentes.
desinite et fati tristia iura queri.

Bch. 1249: non ego solus obi [1]).

Mors omnibus instat. Gaudiis igitur vitaeque voluptatibus quam maxime fruendum est.

Bch. 245:

Vive laetus quique vivis, vita parvom munus est,
mox exorta est, sensim vigescit, deinde sensim deficit.

Bch. 77: vale et bene facito vitae, dum fatum venit.

Bch. 1582: et tu legis ecce meum titulum, moneo, fruere
tunc vita data est [2]).

---

1) Restant multa carmina, quibus mortem evitari non posse dicitur nec tamen eius modi sunt, ut mortuus talia praecipere fingatur. Quae igitur cum omittere liceat, nonnulla afferam, quae diversis quibus utuntur verbis ostendant, quam libenter talia proferrent antiqui.

Bch. 1279 (cf. 527, 995, 1142): fata quibus nequeas opposuisse manus.

Bch. 1339: sic rerum natura iubet, sic temporis ordo:
quae modo sunt pereunt, quaeque futura cadent.

Bch. 1354: praefixo moriens naturae munere functus.

Bch. 1376: humano generi legem natura creatrix
hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant. cf. 432, 104, 1021.

Bch. 1553: i, potius propera, nam qui legis, ipse legeris.

Bch. 1214: tu quoque flendus eris.

Bch. 627 (cf. 96, 436, 501): vita brebis (sic!) est;
cunctis fila parant [et] Parce nec parcetur (i) ullis.

Bch. 391: sed praescripta dies unam non distulit horam.

Bch. 1202: nec tibi nec nobis aeternum vivere cessit.

praeterea Bch. 90, 186, 484, 512, 513, 580, 651, 983, 1225, 1295, 1319, 1326 et Christian. 1443, 1562.

2) cf. Bch. 1231: qui legitis, moneo: vivite, mors properat. Cuius carminis auctor non fingi videtur mortuus.

Bch. 1567:
Oppi, ne metuas Lethen. nam stultum est, tempore et omni
dunc mortem metuas, amittere gaudia vitae.

Monetur ut ab avaritia caveatur, neve genius defraudetur:

Bch. 1494: Vos ego nunc moneo, semper qui vivitis avare:
nudus natura fueras a matre creatus,
nudus eris. obitis gratia nulla datur [1]).

Non sine levitate aliqua haec sunt scripta, quae nobis reprobanda videntur (attamen cf. p. 92 adnot. 3):

Bch. 85 (= Dessau 8140):
ioceris, ludas hortor: hic summa est severitas.

Bch. 118:
noli stomacare. suadeo, caldum bibas. moriundust. vale.

Bch. 243: Dum vixi, bibi libenter. Bibite vos qui vivitis [2]).

Bch. 1500: es bibe lude veni [3]).

Conferantur Bch. 185 (= Dessau 7976), totum carmen Bch. 190; Bch. 186: voluptates secuti simus (sumus) omnes, vitae nostre (sic!) a nobis numquam quitquam est negatum, ita tu, qui legis, bona vita vive sodalis. quare post obitum nec risus nec lusus nec ulla voluptas erit. Nov. Test. 1 Cor. 15 : 32: *Φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν* [4]).

---

1) cf. Bch. 1106 (supra repraesentatus est pater apud mensam in lecto recubans manibus poculum tenens):

Qui dum vita datast, semper vivebat avarus,
heredi parcens, invidus ipse sibi,
hic accumbentem sculpi genialiter (i. e. laete) arte
se iussit docta post sua fata manu,
ut saltem recubans in morte quiescere posset
securaque iacens ille quiete frui.
sed quid defunctis prodest genialis imago?
hoc potius ritu vivere debuerant. cf. Bch. 543.

2) cf. Bch. 244 (= 187): quod edi bibi, mecum habeo, quod reliqui perdidi. Edendi igitur ac bibendi sola constans esse delectatio dicitur.

3) cf. A. P. VII 32 (in Anacreontem):

Πολλάκι μὲν τόδ' ἄεισα, καὶ ἐκ τύμβου δὲ βοήσω·
„Πίνετε, πρὶν ταύτην ἀμφιβάλησθε κόνιν".

4) Copiosius de hac re vid. huius libri capit. I p. I § 4.

Gravius denique haec docentur:

Bch. 484: quisque sapis iuvenis, vivo tibi pone sepulcrum.

Bch. 1238: discite mortales sine crimine degere vitam:
sic meruit, vixit qui sine fraude, mori.

Bch. 1273: discite qui legitis, factis extendere famam.
ut probat hic titulus, non perit esse bonos.

cf. Bch. 97, 1491, 1492.

---

d. Non solum superstes mortuum mortuusve viatores fingitur alloqui, verum etiam in titulis multis res ita se habet, ut inter utrosque oriatur dialogus.

Simplex forma in his:

Bch. 1585: Primitia have: et tu, quisquis es, vale [1]).

Bch. 131: Aemilia Prima salve.
et tu quaequae dices, omnia eveniant tibei.

Artificiose quodammodo disposita verba leguntur:

Bch. 1053: dulcis vale mater peri dicit filia dulcis vale,
ave: et tu.

(verba: *„perii"* *dicit*, tam ad matrem quam ad filiam referri possunt. Bch.)

Alia carmina sunt haec:

Bch. 242 (mortuus et viator loqui videntur):

Hospitium tibi hoc. Invitus venio. veniundum est tamen.

Bch. 1139:

(uxor superstes): Servavi thalamum genio, dulcissime coniunx:
servandus nunc est pro thalamo tumulus.

(mortuus): Ornasti et manes lacrimis, miserabilis uxor:
haud optare alias fas erat inferias.

Bch. 1289 (maritus superstes):

Casta bona inviolans, rarum hoc a coniuge munus,
Fortunata, tibi. sic placet Hardalio? [2])

---

1) cf. Bch. 374 in praescr.: have Calventi: Calventius te resalutat.

2) „Hardalio" cum Buechelero intellego nominativum.

(mortua): Nomine digna meo, quod tu mihi, kare, superstes,
natorum natis te incolumi vigui.

Conferenda sunt Bch. 92 (maritus mortuus et uxor).
Bch. 111 (uxor mortua et maritus).
Bch. 543 (dominus superstes et libertus).
Cholodniak. 93 = Bch. 995 (mulier mortua et viator; maritus superstes et uxor).
Bch. 1045 (filii superstites et mater).
Bch. 68 (uxor defuncta et maritus superstes);
etiam Bch. 59 (cf. 1244), quae longiora sunt, quam ut transscribam.

Apud Cholodniakum similia leguntur collata haec:

Chol. 371: Havete Ser. Iuli Pardala et Iulia Serena filia.
et tu, quisquis es, vale.
ibid. 731: Salve (viator). Salvos seis (defuncta).
ibid. 1095: Bene sit tibi, qui legeris — et tibi.
ibid. 1259: Havae, Clodi Felix, rarissimae fili,
et tu pater qui me salutas, salvus transias.

Comparenter Graeca:

Kb. 248:
(viator): *ἔρχοιντ' ὀλβίστην πολιῇ τριχί* (de mortui pueris dictum),
(mortuus): *καὶ σόν, ὁδεῖτα | οὔριον εὐθύνοι πάντα Τύχη βίοτον.*

In Anthol. Palat. libro VII argumentum vulgo est aliud:

A. P. VII 116: *α. Διόγενες, ἄγε λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρος ἐς Ἄιδος; β. Ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ.*

ibid. 317:
α. Τίμων — οὐ γὰρ ἔτ' ἐσσί — τί τοι, σκότος ἢ φάος, ἐχθρόν;
β. Τὸ σκότος· ὑμέων γὰρ πλείονες εἰν Ἀΐδῃ.

praeterea 79 et longiora 163, 164, 165, 307, 552.

VI. Late apud antiquos divulgatus *mos colendi mortuos* 1)

1) Improbat mortuorum cultum Simonides Amorginus 2 (Bgk. P. L. G. II³ p. 737):
τοῦ μὲν θανόντος οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα,
εἴ τι φρονοῖμεν, πλεῖον ἡμέρης μιῆς.

nequaquam intellegitur, nisi toti cultui subesse statuimus saepius commemoratam illam de animis post mortem in sepulcris vel circa sepulcra versantibus opinionem [1]). Cuius cultus fundamenta optime explanantur verbis ex E. Rohdii opere admirabili adlatis.

In libri I capite I (Seelenglaube und Seelencult in den Homerischen Gedichten) explicatur vel apud Homerum, cui nulla animarum in superstites potestas nota sit, quod animae omnes in Hadis regno esse putentur (unde nullus reditus!), rudimenta inveniri talis cultus, cuius rei exemplum Patrocli afferuntur exsequiae. Unde concluditur (p. 17):

„Jedenfalls wird sie hiebei (i. e. die Psyche des Verstor-
„benen) als menschlichem Gebete noch erreichbar, als in
„der Nähe der Opfer verweilend [2]) gedacht" [3]).

In eiusdem libri capitis V (Der Seelencult) parte altera (Pflege und Verehrung der Todten) huius cultus describitur ritus, et sequitur p. 243:

„Dieser ganze Cult, sinnlich wie er war, beruht auf der
„Voraussetzung, die auch bisweilen laut wird, dass die
„Seele des Todten sinnlichen Genusses der dargebrachten
„Gaben fähig und bedürftig sei" [4]).

Cap. I p. 20 legimus:

„Für den Cult der Seele gilt, wie für allen Opfergebrauch,
„dass seine Ausübung sich aus der Hoffnung, Schädigung

---

cf. Stesichorus 51, 52 (Bgk. P. L. G. III [3] p. 989) et Euripid. Troad. 1248:

δοκῶ δὲ τοῖς θανοῦσι διαφέρειν βραχύ,
εἰ πλουσίων τις τεύξεται κτερισμάτων.
κενὸν δὲ γαύρωμ' ἐστὶ τῶν ζώντων τόδε.

1) cf. Speyer. Mos Maiorum pgg. 26, 27, 29.

2) cf. Bch. 1183 (= Cholodniak. 234) in cenotaphio:

hic finem dolor altus habet quo iusta ferantur
quae dabit adiecto nomine gratus amor.
huc animam transmitte tuam placataque nostris
adsidue votis ad pia sacra veni.

3) cf. quae sequuntur: „Das widerspricht sonstiger homerischer Darstellung".

4) cf. Lucian. de luct. 9: τρέφονται δὲ ἄρα ταῖς παρ' ἡμῶν χοαῖς καὶ τοῖς καθαγιζομένοις ἐπὶ τῶν τάφων, et Charon 22, 519: πεπιστεύκασι γοῦν τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν δειπνεῖν μὲν ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνίσαν καὶ τὸν καπνόν, πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον.

„von seiten der Unsichtbaren abzuwenden, Nutzen zu „gewinnen, erklärt" [1]).

Denique p. 249:

„Aber wenn es im eigenen Interesse gut und gerathen „ist, diese unsichtbaren Seelenmächte sich durch Opfer „geneigt zu machen und wohlwollend zu erhalten, so ist „doch in viel höherem Maasse ihre Verehrung eingegeben „durch ein Gefühl der Pietät, das nicht mehr auf eigenen „Vorteil, sondern auf Ehre und Nutzen der verehrten „Todten bedacht ist.... Die Seelen sind abhängig von „dem Culte der noch im Leben stehenden Mitglieder „ihrer Familie, ihr Loos bestimmt sich nach der Art „dieses Cultes" [2]).

Paucis verbis rem comprehendam.

Morte non omnis exstinguitur homo neque quod restat omnino est corpore vacans. Anima (quo nomine indicari liceat quod superest) post mortem non abit in loca remotissima, sed circa sepulcrum versatur, et quidem ita, ut cibo indigeat eumque consumere possit. Animae praeterea vis est et adiuvandi et nocendi; quae vis noxia adhibetur, si ei sacra debita non offeruntur. Superstites igitur, ut damna avertant suoque serviant commodo, sacrificant, quae animae grata esse suspicantur. Quae tamen non propriae tantum utilitatis causa faciunt, sed etiam pietate adducti honorem mortui eiusque utilitatem spectant multi, quod libationibus atque aliis sacris multis honorificis frui putatur iisque velut extollitur et augetur coram superstitibus omnibus.

Copiosius vero de hac re disserere non est huius libri, cui propositum tantum est quae de hoc cultu doceant tituli sepulcrales inquirere exemplisque illustrare, ad quae contento studio iam transeamus [3]).

---

1) cf. ibid. p. 21 adnot. 1 et illud: placantur ne noceant.

2) cf. Lucian. de luct. 9: *ὡς εἴ τῳ μὴ εἴη καταλελειμμένος ὑπὲρ γῆς φίλος ἢ συγγενής, ἄσιτος οὗτος νεκρὸς καὶ λιμώττων ἐν αὐτοῖς πολιτεύεται.*

3) cf. Rohde l.l. pgg. 14—36, 216—259; Stengel, Chthonischer und Todtencult, in Festschrift für Friedländer; Marquardt Staatsverfassung III p. 298 sqq.; Wissowa, Religion und Kultus der Römer pgg. 187—193.

Permulti sunt tituli, in quibus de universa colendi notione sermo est.

Bch. 106: Manes *colamus,* namque opertis Manibus
divina vis est aeviterni temporis.

Bch. 215: Per haec sepulcra perque quos *colis* Manes
his parce tumulis ingredi pedem saepe.

Bch. 376: fas erat ut potius natus pia funera nobis
penderet et dignos *coleret* Manesque patresque.

Bch. 1592: formavit Valentinianus filius pietate
sua lacrimandum sepulcrum
et *recolet* Manes et vinciet ossa coronis.

Bch. 1223: raptum, care parens, *colito* per tempora fatis,
sique voles semper dulci me voce vocare,
ad superos iterum vibam (sic !) te sospite semper.

Vox colendi quoque legitur Bch. 568, 1036, 1216. cf. 475, 476: si colitis Manes.

Alia carmina aliis utuntur vocibus; exempla conferas haec:

Bch. 696: et cupit dignis diu *servire* cineribus.

Bch. 385: care marite mihi et dulcissima nata valete
et memores nostris semper *date iusta* [1]) sepulcris.

Bch. 1508: parcas, oro, viro, puella parcas [2]),
ut possit tibi plurimos per annos
cum sertis *dare iusta* quae dicavit,
et semper vigilet lucerna nardo.

Bch. 467: sitque precor meritis qui nostra parent tibi *dona*
annua [3]).

cf. A. P. VII 333: Μηδὲ *καταχθονίοις μετὰ δαίμοσιν ἄμμορος εἴης*
ἡμετέρων δώρων, ὧν σ' ἐπέοικε τυχεῖν.

ibid. 205: *οὐ σὲ Φθιμένην ἀγέραστον ἐάσω.*

Bch. 1290: at precor, o coniunx, nostri semper memor esto
et reverens Manes *assidue celebra.*

---

1) cf. Kb. 137: *πάντα ὅσα τοῖς χρηστοῖς φθιμένοις νόμος ἐστὶ γενέσθαι,*
τῶνδε τυχὼν κἀγὼ τόνδε τάφον κατέχω.

2) cf. Bch. 383: at vos, o Manes, his parcite: ni parcetis,
credite mi, nemo referet *sollemnia* vobis. Aen. 5. 605, 6. 380.

3) cf. Rohde l.l. I^3 p. 235 adnot. 1 de Genesiis, et Bch. 496: discedens dic: Zmyrna vale, iterum te repetemus in anno.

Bch. 1339: suscipe nunc coniunx, siquis post funera sensus,
debita sacratis Manibus *officia* [1]).

Bch. 576: coniugis absentis reditum perferre nequisti.
Ampliatus poterit tibi *tristia sacra referre.*
cf. 1216. 9.

Mortuorum cultus non solum ad caerimonias pertinet certis temporibus renovandas, verum etiam ad omnia ea, quae sollemni funeri sunt coniuncta. Qualia igitur ut tractentur, hic videtur locus esse.

In universum dicta sunt haec:

Bch. 830: Acipe (sic!) nunc, frater, supremi munus honoris [2]).
cf. A. P. VII, 592: *ἤθελε γάρ μιν ἔχειν γέρας ὕστατον οἷα θανόντα.*
et Bch. 654: quae tamen extremum munus, solacia luctus,
omnibus obsequiis ornat decoratque sepulcrum [3]).

Bch. 380: Eutychis, ut par est, tribuit tibi natus honores
iuxta quem dulcem dederant tibi fata maritum.

Contraria frequentatur sententia in eius modi titulis:

Bch. 164: Quod par parenti fuerat facere filium [4]),
mors immatura fecit ut faceret pater.

Similia vel leviter mutata Bch. 165, 166, 167, 168, 170.

Bch. 169: Quod decuit facere filiam parentibus,
maesti parentes suae fecerunt filiae.

Bch. 171: Quod fas parenti decuit facere filium
mors immatura fecit ut faceret pater. cf. 1568, 1794.

praeterea Bch. 172—178, unde facile perspicitur, quo modo alia ex aliis sint derivata ac corrupta [5]).

Forma alia est haec, quae passim legitur et variatur:

---

1) cf. Ovid. Metam. 8. 489: officium sentite meum.

2) cf. Verg. Aen. 11. 25: animas decorate supremis muneribus. Ibid. 61, 76; 6. 213; Tacit. Ann. 1. 61.

3) De ornando sepulcro cf. Bch. 381, 541, 795, 1045, 1427.

4) Optime Buechelerus conferri iubet Cic. Cat. M. 84.

5) cf. Bch. 467: Aeternam tibi sedem Hermes aramque dicavi,
Nice, optassemque utinam tua fata, superstes
ut mihi tu faceres. cf. 1208.

Bch. 103: pater mihi fecit quod ego patri debui.
Bch. 818: filius hunc titulum debebat ponere matri.
Bch. 819 (= 556): debuit hic ante miseros sepelire parentes.
Bch. 976: debuit haec gnatae pietas praestare parenti:
nunc pater hic gnatae fungitur officio.

Similia Bch. 822, 1050, 1149, 1150, 1151, 1153, 1155, 1156, 1200, 1215, 1405, 1484, 1485, 1486, 1534, 1546, 1796.

Quibus carminibus proxima et argumento coniuncta sunt talia:

Bch. 93: nec licitum est misera sorte me ut aequom fuit
meis referre lacrumulam parentibus.
Bch. 456: quod si longa magis duxissent fila sorores,
aequius iste lapis complecteret ossa paterna.
Bch. 1057: infelix genitor, gemina sic morte coactus
a natis sperans qui dedit ipse rogos.

et Bch. 376, 422. 11, 475, 521, 710, 1549, 1569 (corruptum).

Comparentur, quae apud Cholodniakum leguntur:

372 (id. 633): que (sic!) si deum propitium habuissem, hoc
debueram ab eos (sic!) pati.
528 (id. 529): quod decuit filiam facere, fecere parentes. cf. 522.
Kb. 190: ἔδει με γονεῦσι τίνειν χάριν.
A. P. VII 261: ἠιθέῳ γὰρ σῆμα Βιάνορι χεύατο μήτηρ·
ἔπρεπε δ' ἐκ παιδὸς μητέρα τοῦδε τυχεῖν.
ibid. 361: υἷι πατὴρ τόδε σῆμα· τὸ δ' ἔμπαλιν ἦν τὸ δίκαιον.
ibid. 701: (πατὴρ ἀνέτεινε τάφον) ἦ γὰρ ἐῴκει
υἱέα οἱ τίνειν ταῦτα κατοιχομένῳ. cf. 547.[1])

Ex titulis igitur laudatis quoque apparet mortuos coli et quod iis potestatem esse putent et quod pietate adducantur superstites, ut ipsi mortui bene se habeant et in omnium superorum ore sint et sermone, idque porro aut

---

1) cf. A. P. VII 228 (Simillimum Kb. 449):
Αὐτῷ καὶ τεκέεσσι γυναικί τε τύμβον ἔδειμεν
Ἀνδροτίων· οὔπω δ' οὐδενός εἰμι τάφος.
οὕτω καὶ μείναιμι πόλυν χρόνον· εἰ δ' ἄρα καὶ δεῖ
δεξαίμην ἐν ἐμοὶ τοὺς προτέρους προτέρους.

semper fieri iustis temporibus aut in exsequiis faciendis, quod munus supremum iustum sit a liberis potissimum tribui; parentes autem hoc tituli aut sepulcri honore destitutos graviter affligi tristitiaque non parva affici.

Quibus deinde rebus sollemnibus efficiatur mortuorum cultus, iam illustrare liceat.

Sacrum novemdiale cum sit factum cenaque novemdialis parata, iustae ac sollemnis sepulturae munere functi sunt propinqui [1]) neque tamen mortui obliviscuntur eumve neglegunt. Identidem ad sepulcrum redeunt [2]), ne defuncti immemores necessitudinis vincula, quibus sunt astricti, solvisse videantur, et ibi imprimis *inferias* afferunt mortuo.

Bch. 1114: dii bene, quod nobis talis amicus erat,
qui dedit inferias. cf. 582. 6 [3])

Inferiae vulgo e *vino* constant, quod tumulo infertur:

Bch. 1107: ossibus infundam quae nuncquam vina bibisti.

Bch. 1185: hoc mihi noster erus sacravit inane sepulcrum,
villae tecta suae propter ut aspicerem,
utque suis manibus flores mihi vinaque saepe
funderet et lacrimam, quod mihi pluris erit.

Diversa est forma, quae ipsum mortuum facit vinum rogantem:

---

1) De sepeliendi modo quem sibi exoptat Propertius, vid. 3. 5, 4. 15, 23 sqq.

2) De Feralibus et Parentalibus vid. Wissowa l. l. p. 187.
cf. Bch. 966 (= 965):
tum (i. e. post mortem) tibi si qua mei fatorum cura manebit,
ne grave sit tumulum visere saepe meum. cf. Bch. 240.
et Bch. 730 in carmine Christiano:
vos precor, o fratres, orare huc quando venitis,
et precibus totis patrem natumque rogatis,
sit vestrae mentis Agapes carae meminisse,
ut deus omnipotens Agapen in saecula servet.

3) Bch. 1050: Debuit hoc natus nobis praestare duobus,
ut cineres patrios dederet inferiis.
vox inferiae idem significare mihi videtur ac sepulcrum. cf. Orell. Inscr. 7413 et Catull. 101. 2.
cf. Bch. 1255: hanc aedem posuit struxidque novissima templa
Manibus et cineri posteriisque meis.
adnotat Buechelerus: posteriae vox nova pro inferiis.
Verg. Georg. 4. 545 sqq. sacrum novemdiale fortasse significavit poeta.

Bch. 1256:
vos precor hoc, superi, ut vitam post me servetis amicis,
ut possint nostris Bacchum miscere favillis.
Bch. 1223: sed potius optes mihi quetos (sic!) optima Manes,
spargas adque mero tumulum mihi in aevo.
Bch. 838: set si gratus homo es, misce bibe da mi.
cf. Bch. 29, 500, 562, 1244.

Conferantur haec Graeca:

Kb. 297*a* in add.:
ἄλλοι μὲν στεφάνοισι, χοαῖς, δακρύοις τε καὶ ᾠδαῖς
τειμῶσιν τὸν σὸν, Μαρκελλεῖνε, τάφον.
ibid. 619 (= I. G. R. fasc. I 253 = Inscr. Gr. Sic. et It. 1595):
καὶ προχοαῖς χαίρω ταῖς ἀπ' ἐμῶν ἑτάρων.
ibid. 120: *εἰ δὲ θέλεις θέλγειν ψυχὴν (τεθνηκότος ἀνδρός)*
θέλξον ἐπισπίσας (sic!) *ὅσσα βροτοῖσι θέμις.*
cf. 153 et A. P. VII 260 [1]).

Etiam *dapes* ponuntur [2]).

Bch. 534: fessus in extremis haec blanda voce rogavit,
ut dapibus positis Pompeium saepe colamus.
cf. fragm. Bch. 1010 et Bch. 1215:
ditalesque dabunt epulas meritis pro talibus illi
et natum patri matris pietate probabunt.
cf. Catull. 59. 2: uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
vidistis ipso rapere de rogo cenam.
Ovid. Fast. 2. 566:
nunc posito pascitur umbra cibo. Verg. Aen. 3. 301 [3]).

---

1) cf. Verg. Aen. 3. 66, Herodot. 7. 43. Sitire mortuos sitimque libationibus depelli vulgo credebatur. cf. Dieterich l. l. p. 99, praeterea p. 95 c. adnott. et Maass, Orpheus p. 195. Euripid. Alc. 844, 845. Contra Lucian. de luct. 19: *τί ὑμῖν δύναται τὸν ἄκρατον ἐπιχεῖν; ἢ νομίζετε καταστάξειν αὐτὸν ἐς ἡμῶν καὶ μεχρὶ τοῦ Ἅιδου διίξεσθαι;*

2) cf. Marquardt Privatleben[2] p. 369 et adnot. 4 (de cepotaphiis. Dessau 8080, 8233, 8386), et quae Anthesterion die tertio fiebant, qui *Χύτροι* nomen habebat et Mercurio *Χθονίῳ* erat sacer, cum ollae coctis leguminibus plenae mortuorum umbris offerebantur. Aristoph. Acharn. 1076.

3) Cave, ne tales dapes in honorem atque usum mortui tumulo impositas confundas cum epulis iis, quae ipso sepeliendi die parabantur (Lat. sili-

Saepissime de *floribus* sermo est, quibus ornatur et decoratur sepulcrum, ut iis delectetur mortuus. Et flores igitur inter ea numerandi sunt, quae defunctorum animis grata esse putantur, quos vel ipse mortuus rogat, ut muneri sibi dentur.

Bch. 103: rogo pater (corrupta sunt quae sequuntur)
ut mihi ponatur omne flos suo tempore.

Bch. 492: ac precor ut tu
hanc tituli sedem velles decorare quodannis
et foveas aevi monumentum tempore grato,
roscida si rosula seu grato flore amaranthi
et multis generum pomis variisque novisque
ut possit toto refoveri temporis anno.

Bch. 1256: precor, amici
floribus ut spargant saepius umbra(m) levem.

Bch. 578: vicinas mihi carpe rosas, mihi lilia pone
candeda (sic!) que (sic!) viridis dabit ortulus:
ista beatum [1]).

cf. 1036, 1078, 1244, 1279, 1594 (= Cholodniak. 289*c*).

Bch. 451: sit tibi terra levis, cineres quoque flore tegantur.

Bch. 467: ia tibi Cybeles sint et rosa grata Diones
et flores grati Nymphis et lilia serta.

Bch. 1111:
serta mihi floresque novos, mea gaudia, ponunt (sc. parentes).

praeterea 488, 525, 610, 1135, 1185, 1508, 1559, 1592.

Horto interdum [2]) variisque et floribus et arboribus cinctum est sepulcrum, quorum amoenitas ac blandissimus aspectus optime describitur Bch. 468:

saepe meis tumulis avis (i.e. apis) Attica parvula venit

---

cernium, Gr. περιδεῖπνον), neve cum cena novemdiali, quae post nonum diem habebatur (cf. Marquardt l.l. pgg. 378, 380; Tacit. Annal. 6. 5; Hom. Od. 3. 309), quamquam et eorum mortuus socius esse proprie existimatur. (cf. τὰ ἔνατα apud Graecos. Rohde l.l. I[3] p. 232 adnot. 3).

1) cf. Kb. 7: τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Idem Hom. Iliad. 16. 675 et al. Verg. Aen. 11. 23: qui solus honos Acheronte sub imo est.

2) cf. Rohde l.l. I[3] p. 230 et adnot. 4: nemora aptabant sepulcris, ut in amoenitate animae forent post vitam (Serv. in Aen. 5. 760).

et satiata thymo stillantia mella relinquit,
mi volucres hic dulce canent viridantibus antris,
hic viridat tumulis laurus prope Delia nostris,
et auro similes pendunt in vitibus uvae....

Similia Bch. 439, 469. Conferantur:

A. P. VII 187: Ἡ γρηὺς Νικὼ Μελίτης τάφον ἐστεφάνωσε
παρθενικῆς. Ἀίδη, τοῦθ' ὁσίως κέκρικας;

ibid. 485: Βάλλεθ' ὑπὲρ τύμβου πολιὰ κρίνα (i. e. lilia).

ibid. 406, 714. Kb. 297*a* in Add.

Tibull. 2. 4. 48: annua constructo serta dabit tumulo.

Verg. Aen. 6. 883: manibus date lilia plenis,
purpureos spargam flores, animamque nepotis
his saltem adcumulem donis.

Verg. Aen. 5. 79, Copa 35; Propert. 1. 17. 22; Ovid. Trist. 3. 3. 82; Mart. 1. 89. cf. Cic. pro Flacc. 31. 75 de aurea corona, qua mortuos donabant Smyrnaei [1]).

Odorum quoque hic illic fit mentio tumulo s. ossibus illatorum.

Bch. 1321: dat patruo ob meritum feralem Flavius urnam
Ninnius et cinerem spargit odore gemens.

Bch. 1508: qui nunc pro meritis bene adque caste
corpus, quod potuit negare flammae,
unguento et folio rosisque plenum
ut numen colit anxius merentis.

cf. Bch. 1135, 1829 et Tibull. 1. 3. 7: non (hic mihi) soror, Assyrios cineri quae dedat odores [1]).

Lucernae ponebantur, quae quo die quis mortuus erat, accendebantur [2]).

---

1) Haec pietatis officia etiam ad Christianos transierunt.
cf. Prudentius Cathemer. Hymn. 10. 177: nos tecta fovebimus ossa
violis et fronde sequenti.
Sulpic. Sever. Dial. 3. 22: titulumque et frigida saxa
liquido spargemus odore.

2) cf. Marquardt Privatleben[2] p. 367: „Zu der Einrichtung des Grabes „gehören — Lampen und Candelaber, die nicht bloss eine symbolische

Bch. 1308 (= Dessau 8132):
quisque huic tumulo possuit ardente(m) lucernam,
illius cineres aurea terra tegat.
Bch. 1508: et semper vigilet lucerna nardo.
cf. in carm. Christian. Bch. 1448:
statque femineo lampas funesta toro.

Ipsa iam *tristitia* itemque iusto *luctu* gaudet mortuus; „et corollae et lacrimae Manibus gratissimae", quapropter fletum sepulcra adeunt multi et lacrimas suas mortuo afferunt.
Bch. 1139 B: Ornasti et manes lacrimis, miserabilis uxor:
haud optare alias fas erat inferias.
Bch. 1036:
quos (i.e. cineres) pius saepe colit frater coniunxq. puellae
atque obitum nostrum fletibus usque luunt.
cf. Kb. 502 *b*: σκῆνος μὲν γενετῆρες, ἐπεὶ γέρας ἐστὶ θανοῦσι,
τειμῶντες κλαίεσκον ἀναισθήτῳ περὶ τύμβῳ.

Rogat lacrimas ipse mortuus:
Bch. 82: infunde lacrumas, quisquis es, mihi misericors.
Idem Bch. 109, 219, 374, 391, 473, 555, 859, 973, (1055), 1110, 1163, 1198.
Similia Graeca sunt haec:
Kb. 346: σπεῖσον ἐμοὶ δακρύων ὀλίγον, ξένε, κἄμ' ἐλέησον
νηπίαχον κούρην ἐν χθονὶ κρυπτομένην.
ibid. 559: μέμνεο κὴν ζωοῖς ἐμέθεν καὶ πολλάκι τύμβῳ
σπεῖσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ' ἀποιχομένῃ. cf. 285.
A. P. VII 166: θερμὰ κατὰ ψυχροῦ δάκρυα χεῖτε τάφου.
ibid. 552 (in dialogo mater dicit hospiti, viatori):
εὔχεο κείνῳ (i.e. filio meo superstiti)
ὄφρα μοι ἡβήσας δάκρυ φίλον σταλάοι.

Rogat, qui titulum inscribendum curavit:

„Bedeutung haben, sondern an gewissen Tagen angezündet und fortdauernd „im Stande erhalten werden", et p. 368 adnot. 1. cf. Dessau 8366: et praeterea omnib. k. (= kalendis), nonis, idibus suis quibusq. mensib. lucerna lucens sibi ponatur incenso imposito. praeterea 8342, 8368, 8369, 8374.

Bch. 1813: da, quicumque legis, fletus et parce sepulcro.
Idem Bch. 213, 403, 616, 649, 723.
cf. Kb. 363: *βάλλε, ὦ παροδεῖτα, δάκρυον ἐντυχὼν γραφαῖς.*
Addantur
Bch. 1107: O utinam vivo potuissem praemia morum
reddere: nunc lacrumas accipe pro meritis.

Bch. 500, 702, 1111, 1185, 1183 (Cholodniak. 234), 1336 [1]) et Graeca A. P. VII 220, 280, 404 (*ἐπιτύμβια κωκύουσα*), 446, 476, 555 *b*, 560 [2]).

cf. Hom. Iliad. 23: 9—16, Od. 4. 197, 198 et passim, Catull. 101. 7 sqq., Tibull. 2. 6. 32, 3. 2. 25.

Nimium vero *luctum* maeroremque suscipere mortuo ingratum habebatur eumque conturbat [3]).

Bch. 389: nec mea plus iusto sit mors tibi causa doloris.
Bch. 562: quos cuncti parentes
solando vitae dulci retinete precantes,
ne dolor augescat seu maeror tristis abundet.
Bch. 1198: at vos hoc primum perculsi vulnere manes
parcite iam luctu sollicitare meos. cf. 1016.

cf. Bch. 59, 679, 750, 965, 995, 998, 1001, 1051, 1206, 1211, 1212. Kb. 231.

Tibull. 1. 1. 67: Tum Manes ne laede meos, sed parce solutis
crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Stat. Silv. 2. 6. 98:
Quid caram crucias tam saevis luctibus umbram?
ibid. 5. 1. 180:
Parce precor lacrimis, saevo nec concute planctu
pectora, nec crucia fugientem coniugis umbram.

Gratissimum denique facit mortuo, qui vel *sollemnis*

---

1) cf. Dessau 8144: haec cum scriberem, lacrimis atramentum temperavi.

2) cf. A. P. VII 247: *ἄκλαυστοι καὶ ἄθαπτοι κείμεθα*, cum Solon. 21:
μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισιν
ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. Cic. de amicit. 3.

3) cf. Plutarch Cons. ad Apoll. 3: *τὸ πέρα τοῦ μέτρου παρεκφέρεσθαι καὶ συναύξειν τὰ πένθη παρὰ φύσιν εἶναί φημι .... τὴν δὲ μετριοπάθειαν οὐκ ἀποδοκιμαστέον*. Rohde I³ p. 223 adnot. 2.

funeris honore [1]) eum afficit, *monumentum* exstruit, *titulum* inscribit. Mortuus enim, ut solent interpretari, tum demum quiescit, cum tumulo iacet conditus [2]). Monumentum autem ac titulus nomen apud posteros servant augentque famam.

Bch. 1009: Liberta *hoc titulo* patronum pietatis honorat —
quicquid id est, *gratum Manibus officium* —
non iussa tamen nec voce rogata.

Bch. 525: hos *versus* tibi, sancte, nepos, victorque devovi,
munera quos misi tuo nam tumuloque dicavi.

Bch. 572: et sum post obitum felix, cui cari sodales
hoc *titulo* fixerunt nomen aeternum.

Bch. 1429: suscipe quapropter carmen ferale Boniti,
quod mihi luctificum est, sed tibi dulce nimis [3]).

praeterea Bch. 583, 588, 592 (cf. 593, 594), 596, 1100, 1141, 1301, 1584, 1833, alia multa.

Bch. 68: funusque ornavit pulcre decessum dolens,
honeste hoc voluit *monumento* ambustam tegi.
et quod rogavi ut faceret monumentum mihi,
sic impetravi id ab eo, laudo benevolentiam.

Bch. 531: *funeris exequia* infilix (sic!) fraterna replevit,
qui statuit tumulum titulis et fata notavit.

praeterea Bch. 405, 500, 517, 518, 526, 543, 544, 579, 597, 654, 739, 802, alia multa.

Conferantur Kb. 313: *τεθνῶσαν ἐτείμεον ἐνταφίοισιν*
καὶ τύμβον γράψαν μνημοσύνης ἕνεκεν. cf. 235.

A. P. VII 300: *μνῆμα δ' ἀποφθιμένοισι πατὴρ Μεγάριστος ἔθηκεν*
ἀθάνατον θνητοῖς παισὶ χαριζόμενος.

---

1) cf. Verg. Aen. 6. 333: mortis honore carentes. Ibid. 10, 493: honos tumuli, 11. 23. Sufficit, si ita fert necessitas, non multum pulveris inhumato corpori iniecti, cf. Horat. Od. 1. 28. 35: licebit iniecto ter pulvere curras (ter ex solito numero sacro) et Quintil. Decl. 5. 6: hinc et ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, et insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu. Sophocl. Antig. 246, 256.

2) cf. Bch. 541: hic ego sepultus iaceo placidusque quiesco, et Verg. Aen. 6. 325 sqq. (quos vehit Charon, sepulti sunt. Nec datur prius transportare quam sedibus ossa quierunt).

3) Legitur carmen apud Rossium (Inscr. Christ. Rom.), in quo nihil christianum videt Buechelerus neque ego.

ib. 197 (τὸν ἐοικότα τύμβον ἔχευεν), 261, 554. Praeterea e. gr. Hom. Iliad. 22. 386, Herodot. 1. 24, Sophocl. Antig. 196, 197; 205, 206. Verg. Aen. 6. 149, 9. 213, 214. Horat. Epod. 5. 99.

Ex omnibus iis, quae sunt exposita [1]) luce est clarius, quanti aestimarent antiqui mortuos exacta vita non neglegi, in cultum vero defunctorum omnem conferri curam. Quem cultum si ipsi susciperent propinqui, imprimis liberi [2]), maximi faciebant, quod illorum potissimum officiis frui putabantur mortui. Hac ratione veri simile est adductos esse multos, ut operam darent, ne interiret familia, quo facto iustissimis atque efficacissimis post mortem sacris fuissent destituti [3]).

Et huius sententiae in titulis leguntur exempla [4]).

Bch. 466:

triginta annorum rapta est mihi lux gratissima vitae
et de gente mea solus sine parvola vixi.
quem mater miserum flevit, quod pietatis honore relicta est.
(relicta i. e. privata. cf. Bch. 663. 2).

Eodem spectant carmina, quibus gaudent [5]) parentes sibi natos esse natorumque natos [6]):

Bch. 754: tristia sunt natis, sed multum grata parenti,
ut prior in pacem cedat subolemque relinquat.
Bch. 1238: et genui et vidi iuvenes carosque nepotes.

---

1) De acclamatione mortuorum cf. huius libri p. 88 sqq.

2) cf. huius libri p. 102 sqq. Dessau 7991: L. Tampius L. l. Ingenuus sibi et Crassiciae P. l. Helpidi uxori suae colenda ossa et cineres *suis* commendarunt. Ibid. 8135: bene sit filis filiabus meis qui me bene coluerunt.

3) cf. Speyer Mos Maiorum p. 30. Rohde l. l. I^3 p. 251 et adnot. 3.

4) cf. Dessau 8082*a*: ut bene et merito credatur procreasse filium post multum temporis intervallum reliquias recollectas tumulum tibi constitui aeternae domus ego Primus filius. Simillimum 8082*b*.

5) Contra e. gr. Bch. 369 mater senior, quae suos amisit, exemplis referendam esse dicit desertam senectutem, ut steriles vere possint gaudere maritae.
Bch. 382: hec docuit matres miseras non tollere natos.
sed Bch. 647: natos habere bonu est, si non sint invida fata.

6) cf. Dessau 8185 in comminatione: ultimus suorum moriatur. Bch. 86: decessi prior.

Bch. 1289: nomine digna meo, quod tu mihi, kare, superste
natorum natis te incolumi vigui.

cf. Bch. 103, 1530, 1586.

Queritur mater orba Bch. 1148, pater Bch. 1057 (a nat
sperans qui dedit ipse rogos).

Bch. 429: filius est nobeis natus, quem Iuppiter altus
diligat et natos iubeat generare futuros [1]).

In titulis Graecis eadem inveniuntur:

Kb. 44: *φῶς δ' ἔλιπ' εὐδαίμων παῖδας παίδων ἐπιδοῦσα.*

Idem Kb. 67, 81 *b.* cf. Kb. 449 (idem fere A. P. VII 228).

A. P. VII 260: *τέκνων τέκνα λέλοιπα.*

ibid. 331: *λείπω δ' ἐν θαλάμοις γαμέτου χόρον εὐκλέα παίδων.*

ibid. 606: *ἐν βιότῳ προλιπὼν υἱέα γηροκόμον.*

cf. ibid. 353; Catull. 61, 213, Lucian. de luct. 9, Tyrtaeus 12. 29. 30 (Bgk. P. L. G. I^3 p. 403), Mimnernus 2. 13, 14 (Bgk. P. L. G. I^3 p. 409):

ἄλλος δ' αὖ παίδων ἐπιδεύεται, ὧν τε μάλιστα
ἱμείρων κατὰ γῆς ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.

Isaeus 2. 10 et quae Solon dicit apud Herodotum 1. 30.

---

§ 4. Non parvus est numerus titulorum, quibus mortuorum hominum animae *in caelo, apud superos, in aethere* versari dicuntur, de quibus deinde disputaturus sum [2]).

Ea quoque opinio pervetus esse vetustissimisque et vulgi sententiis et philosophorum doctrinis niti videtur. Cum enim animam, in ipsa morte a corpore disiunctam, non descendere sunt qui putent in loca separata sub terra posita, sed sublime ferri, non dubitandum est, quin ea subsit opinio, a ceteris supra laudatis prorsus diversa, quae animam in deorum sedibus locum assignet. Deos enim mox existimabat

---

1) cf. Plessis l. l. 52:
sic, quia progenitis superest e quattuor unus,
deprecor hic saltim (sic!) vivat ut hossa (sic!) colat. et Bch. 1036.

2) cf. B. Lier l. l. §§ 38, 39, 41.

vulgus in Olympo non amplius habitare, sed in caelo vel in regionibus sublimibus sedes habere [1]).

Accedit quod anima, utpote aurae simile quid, cum ipso aethere facile connectitur [2]) eiusdemque esse naturae creditur; quo fit ut nulla re contineatur vulgi opinio, quin post mortem animam avolare putet in id quod eiusdem est generis, in aetherem.

Sin autem philosophorum spectamus doctrinas, res prorsus non alia est. Imprimis commemorentur Euripides et Stoici [3]).

Euripides inter poetas vir sapientiae studiosissimus, qui apud posteros potissimum auctoritate multum valebat [4]), compluribus operum locis similia profitetur. Quo iudice animam habet homo ex universo aethere delibatam, qui sui conscius atque animatus omnis vitae est principium. In moriendo autem cum discedunt corpus et anima, utrumque eo unde sit ortum [5]), corpus in terram, anima in aetherem redit [6]), nec tamen ita ut ipsa per se constet anima, sed ut in aetherem recepta velut aetheris particula sui conscia remaneat [7]).

Et Stoici, quorum doctrina multorum hominum pervasit animos, ex universa mente divina nos habere animas decerptas docent [8]): humanas igitur animas a mente divina non dis-

---

1) Euripid. fragm. 491: ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκησιν Διός. Simillimum Aristoph. Thesmoph. 272. Conferatur Hom. Od. 6. 240 cum 243.

2) πνεῦμα = ψυχή ab Epicharmo iam usurpata (Plutarch. Cons. ad Apoll. 15). cf. Kb. 156 πνοή, Euripid. Suppl. 533 et fragm. 961.

3) cf. Lucan. Schol. p. 289: Alii enim dicunt liberatos a vinculo corporis in caelum reverti, inter quos sunt Peripatetici et cum Platone suo Academici.

4) cf. van Gelder, Alg. Gesch. II pgg. 148, 268. Anthol. Palat. VII, 45.

5) cf. Bch. 1559: Hic corpus vatis Laberi, nam spiritus ivit
illuc unde ortus.

et I. G. R. fasc. II 346: πνεῦμα λαβὼν δάνος οὐρανόθεν τελέσας χρόνον αὖτ' ἀπέδωκα.

6) Dessau 8520: ruina parietis oppressus naturae socialem spiritum corpusque origini reddidit. cf. Euripid. fragm. 836, Suppl. 1140, Electr. 59. Pseudophocylidea 107, 108.

7) cf. Euripid. Helen. 1014:

ὁ νοῦς | τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

8) cf. ἀπόσπασμα τοῦ θεοῦ, θεία ἀπόμοιρα, ἀπόρροια. Bch. 1108: spiritus diffusus in patrium aër. Senec. epist. mor. 20. 3. 14: mens dei, ex quo pars

crepare natura; in morte autem, quae est *χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος*, ut ait Chrysippus, animas secundum naturam suam [1]) sublime ferri [2]) ibique [3]) consistere, donec *ἐν ἐκπυρώσει* cum mente universa coniungatur. Qua doctrina ducti negant esse Hadem [4]).

Et vulgi sententiis, quae facile accipiebantur, et nova Euripidea philosophandi ratione, qua ne in funebri quidem publica laudatione abstinebatur [5]), et longe lateque divulgata Stoicorum doctrina, quae omnia quasi cognatione quadam inter se continentur, factum esse nemo mirabitur, ut in titulos quoque tam Graecos quam Latinos talia identidem irrepserint. Quae vero singulis debeantur, non facile prorsus perspicitur.

In *caelo* esse dicitur anima s. mortuus ipse:

Bch. 591: Terrenum corpus, caelestis spiritus in me,
quo repetente [6]) suam sedem nunc vivimus illic (i. e. in caelo)
et fruitur superis aeterna in luce Fabatus.

cf. Bch. 611: sed mea divina non est itura sub umbras
caelestis anima.

Bch. 655: habet eius celum animum.

cf. A. P. VII 672: *ἔχει κλυτὸν οὐρανὸς ἦτορ.* Kb. 104.

Bch. 1833: caelo devota mente recessit.

Bch. 1109: nam me sancta Venus sedes non nosse silentum

---

et in hoc pectus mortale defluxit; ad Helv. matr. 6. 7: (mens hominis) ex illo coelesti spiritu descendit. Cic. Tusc. disp. 5. 13. 38, Horat. Sat. 2. 2. 79; etiam Pythagoreorum erat doctrina, Cic. Cat. M. 21. 78.

1) cf. Sext. adv. phys. 1. 71: *λεπτομερεῖς γὰρ οὖσαι εἰς τοὺς ἄνω μᾶλλον τόπους κουφοφοροῦσιν.*

2) cf. Cic. Tusc. disp. 1. 40, 1. 42, 1. 43. Senec. Consol. ad Marc. 25. 1, ad Polyb. 9. 8, 17. 1.

3) i. e. *ἐν τῷ ὑπὸ σελήνην τόπῳ*, sub luna, *ἐν τῷ περιέχοντι.*

4) Epictet. diss. 3. 13. 15: *οὐδεὶς Ἅιδης, οὐδ' Ἀχέρων, οὐδὲ Κώκυτος.* Similia Senec. ad Marc. de consol. 19. 4. cf. Cic. Tusc. disp. 1. 10, 36, 48. Rohde l. l. II³ pgg. 319, 320 c. adnott.

5) cf. epigramma illud in honorem Atheniensium inscriptum, qui apud Potidaeam ceciderunt anno 432 (Kb. 21).

6) cf. Bch. 1559: anima caelo reddita est.

iussit et in caeli lucida [1]) templa tulit.

quocum conferas:

Bch. 1535: set non hic Manis nec templa Acherusia visit,
ad caeli (sc. templa) quoniam tollitur iste Pius.

praeterea Bch. 607, 1389; 1339. Comparentur Kb. 104, A. P. VII 87, 337, 587, Cholodniak. 289*a*.

Mortuum in *caeli sidera* evolavisse dicunt haec carmina:

Bch. 569: non tamen ad Manes, sed caeli ad sidera pergis.

Bch. 1109: quid o me ad sidera caeli
ablatum quereris? [2])

Bch. 1834: nam meus ad caeli transivit spiritus astra.

praeterea Bch. 1062, 775; 679, 1407, 1347; Christiana 611, 1425.

et Bch. 1061: hic posita; an superas convisit luminis auras
innocua aeternis condita sideribus!

Conferantur A. P. VII 85:

αἰνέω ὅττι μιν ἐγγὺς ἀπήγαγες· ἦ γὰρ ὁ πρέσβυς
οὐκέθ' ὁρᾶν ἀπὸ γῆς ἀστέρας ἠδύνατο.

ibid. 391, 64; 669, 670.

Ad *superos* eum esse vocatum dicunt haec:

Bch. 1277: Functus honorato senio plenusque dierum
evocor ad superos: pignora, quid gemitis?

Bch. 1288: haec abit ad superos cum filio Episuco karissimo nostro.

cf. Bch. 591, 1848 et Cholodniak. 57: cuius spiritus inter deos receptus est.

In titulis Graecis saepe sermo est

de Olympo: A. P. VII 241, 362, 678. Kb. 261.

de sede vel aedibus Iovis: A. P. VII 96, 97, 133, 370.

de diis: A. P. VII 570. Kb. 125, 312.

de locis immortalium A. P. VII 673. Kb. 172, 228.

---

1) cf. Lucret. 1. 1014, 2. 1039. Bch. 603: animam lux alma recepit.

2) cf. Bch. 1109: ne pietas ignara superna sede receptum lugeat.
et carmen Christianum Bch. 1358: viventemque deo credite flere nefas.

Pii praecipue homines, qui honeste vixerint, post mortem apud deos in coetu beatorum vivere dicuntur [1]). cf. Rohde l. l. II [3] p. 220 adnot. 4 i. f.

Aether denique sedes esse defunctorum dicitur:

Bch. 545: set tamen aetheria vivis post funera sede
fama vigens.

Bch. 1530: ibis in optatas sedes, nam Iuppiter aethram
pandit, Feste, tibi candidus, ut venias.

Bch. 1366: exacto vitae transcendit ad aethera cursu.

cf. Bch. 1340, carm. Christian. Bch. 1347, A. P. VII 472.

Complures consulto omisi titulos, etsi cum supra collatis arte cohaerent; qui vero, quod propriam habent formam, seorsum enumerentur. Sunt ii, quibus corpus et anima inter se opponuntur, ita ut corpus terrae reddi [2]), anima autem caelum sive sidera sive aetherem adire vulgo dicatur [3]).

Bch. 1366: terrenum tumulo dans, animam superis.

Bch. 1420: astra tenet animam, caetera tellus habet.

Bch. 1433: bustus membra tenet, mens caeli pergit in astra.

Bch. 1559: hic corpus vatis Laberi, nam spiritus ivit
illuc unde ortus.

Bch. 1257: membra gravis texit corporis iste lapis.

---

1) cf. Somnium Scipionis 13. 15. 16. Sic inter Stoicos erant, qui sapientium tantum animas remanere putarent usque ad ἐκπύρωσιν. Laert. D. 7. 157: Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας (τὰς ψυχὰς) ἐπιδιαμένειν (λέγει) μεχρὶ τῆς ἐκπυρώσεως, Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνον. cf. exempla, quae afferunt Rohde l. l. p. 318 adnot. 3, BLier l. l. § 39. Propert. 4. 17. 34, 5. 11. 101 (moribus et caelum patuit). In Christian. carm. talia inveniri per se intellegitur, e. gr. Bch. 662, 1444, alia.

2) cf. BLier l. l. §§ 32, 33.

3) cf. Dieterich l. l. pgg. 104, 106. Friedländer l. l. III [6] p. 741 adnot. 6: „Zu diesen (materialistischen) Grabschriften (qui sc. immortalitatem negant) „musz man auch solche rechnen, die eine Auflösung in die Elemente vor„aussetzen". Hoc verum, sed caute videtur diiudicandum esse. C. I. L. III 3247 (= Bch. 1207) e. gr. an inter eos titulos sit numerandus, mihi non constat. (cf. Bch. 1206). Contra Bch. 590, 611, 1108; 1612, 1604, 1617 (spiritum reddere naturae), si quid videmus, post vitam aliquid remanere negant.

contra anima emissa ad superos assurgit in auras.
praeterea Bch. 611, 1206, 1207, 1339, 1833, 1848 [1]).
Cholodniak. 624c: dant animas caelo, dant sua membra solo.

Conferantur A. P. VII 61 (simillimum Speusippus apud Bgk. P. L. G. II³ p. 642):

γαῖα μὲν ἐν κόλποις κρύπτει τόδε σῶμα Πλατῶνος·
ψυχὴ δ' ἀθάνατον τάξιν ἔχει μακάρων.

ibid. 672: *χθὼν μὲν ἔχει δέμας ἐσθλόν, ἔχει κλυτὸν οὐρανὸς ἦτορ.*
ibid. 62, 87, 362, 370, 570.

Kb. 41 (saec. IV in Piraeo)

Εὐρυμάχου ψυχὴν καὶ ὑπερφιάλους διανοίας
αἰθὴρ ὑγρὸς ἔχει, σῶμα δὲ τύμβος ὅδε.

Simillimum est pepli Aristotelei epigramma Bgk. P. L. G. II³ p. 659 (62). cf. ibid. p. 654, 32/37.

Kb. 104 (aetat. Roman.)

ἀλλὰ τὰ μὲν κεύθει μικρὰ κόνις ἀμφιχυθεῖσα,
ψυχὴν δ'ἐκ μελέων οὐρανὸς εὐρὺς ἔχει.

ibid. 288: *ἡ γάρ μοι ψυχὴ μὲν ἐς αἰθέρα καὶ Διὸς αὐλάς,*
ὀστέα δ'εἰς 'Αίδην (sic!) *ἄτροπος εἶλε νόμος.*

ibid. 642 (= I. G. R. fasc. II 340):

ἀλλὰ νεκρωθείς
τὴν ψυχὴν ἀπέδωκεν ἐς ἀέρα, σῶμα δὲ πρὸς γῆν.

praeterea ibid. 35, 90, 156, 159, 225, 243, 250, 261, 315, 324, 325, 462, 652, 653, 654, 646.

Ad Christianos haec carminis forma eo facilius transiit, quo magis ipsa sententia in eorum doctrinam quadrabat [2]).
cf. Bch. 688: hic carnis spolium liquit ad astra volans.

Bch. 692 (= 778): membra solo posuit, celi perexit ad astra.
Bch. 1354: ista (membra) iacent tumulo, gaudet at illa (mens) polo.

---

1) cf. Bch. 1311 (Kb. 516): Vincentia conditur.
quin potius corpus: nam mens aeterna profecto
pro meritis potitur sedibus Elysiis.

2) cf. Ecclesiast. 12. 7: et revertatur pulvis in terram sicut erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Bch. 1394: corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Bch. 1442 (= Cholodniak. 987*g*):
ossa sub hac lapidum felicia mole quiescunt,
sacra animam innupte (sic!) virginis aula tenet.
et ibid. 662, 674, 782, 734, 740, 743, 755, 758, 760, 778, 1362, 1369, 1385, 1389, 1422, 1444, 1359, 1845, 1836.
Kb. 175: *γῆ σῶμα κρύπτει τῇδέ γ', ἀλλ' ἐς αἰθέρα*
ψυχὴ διέπτη καὶ σύνεστιν οἷς τὸ πρίν.

CAPUT IIII

QUO INVESTIGATUR, **QUO MODO SIT** QUOD POST MORTEM REMANET.

§ 1. Quae apud Rohdium (Psyche I[3] p. 246) leguntur: „Wie aller (?) Cult, hat es der Seelencult mehr zu thun mit „dem Verhältniss des Daemons zu den Lebenden als mit „dessen Natur und Wesen, wie sie etwa an und für sich „betrachtet sich darstellen mögen. Eine dogmatische Be-„stimmung dieses Wesens fordert er nicht und bietet er „nicht" [1]) vera mihi videntur, dummodo inde ne derivetur antiquos prorsus non habuisse, quae de mortuorum natura et statu sentirent. Multae enim iis erant et variae opiniones, quae quamvis in dogmatum, quae dicuntur, formam non essent redactae [2]), cum e vulgi potissimum sententiis originem haberent, late divulgatae erant, quo factum est, ut in titulis iterum ac saepius legantur. Factum esse non posse, quin eadem ratione fingerent statum eorum, quos post mortem consistere crederent, qua et ipsi in vita constarent, supra dictum est.

Non est neglegendum apud antiquos mortuos non tam

1) cf. ibid. p. 278.

2) Distinctius cognoscendi studio ducti, quae post mortem essent, non pauci mysteriis Eleusiniis aut Orphicorum doctrinis initiati sunt, quae eo usque dogmata proferebant de hominum post mortem condicione, ut initiatorum statum hilarissimum, reliquorum miserias nitidis coloribus describerent. cf. Dieterich l. l. p. 72 sqq., Rohde l. l. I[3] p. 278 sqq., p. 299, 300.

magno discrimine vulgo separari ab iis, qui vita fruebantur, quantum nos inter eos putemus interesse. Mortui vinculo quodammodo cum vita coniuncti esse iis videbantur [1]), ab iis, quae in vita agebantur, mentem non avertentes, omne contra studium et curam in ea convertentes, ita ut aut iuvarent superstites aut iis nocerent, laetitiae et luctus humani essent participes, consuetudine hominum minime abstinerent. Prope vias vulgo sepulcra, domus eorum, sita sunt, quae cottidie praetereunt homines salutantes et adloquentes, ne mortuorum obliti videantur, libationes, flores, dona multa et varia sepulcris inferentes eaque omnia, quae mortuis grata esse putantur.

Iis omnibus adducebantur, ut condicionis mortuorum a vivis prorsus diversae vix cogitationem haberent. Mortui audire, videre, loqui dicuntur, gaudio tristitiave affici aliisque animi affectibus; quae si quis artificiose componat et ad rationem artemque revocet, metuendum ne a proposito longius aberret. Voces porro quae sunt manes, anima, umbra, cavendum est ne in errorem inducant, cum aut animum remanere plerumque censerent, qui iis utebantur, forma corporea vel corporis natura praeditum aut nihil iis definite et distincte saepe significetur.

In mortuos antiqui identidem transtulerunt, quae sunt hominum viventium: nil amplius. Nulla usquam ratio ac disciplina: immo controversiae nec quidquam quod omnibus probetur.

§ 2. In ratione investiganda, qua post vitam mortui remanere credantur, mortuorum iudicium silentio omnino praetermittetur [2]), neque quaeretur, quales sint homines quibus vita post mortem beata adiudicetur quibusque miser-

---

1) At cf. Bch. 1200: quod *si* qua ad Manes poterit descenderc fama,
magnus honos campis te manet Elysiis.

2) cf. L. Ruhl. De mortuorum iudicio. Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten, herausgegeben von A. Dieterich und R. Wünsch II. 2 Gieszen 1903. Platon. Phaed. 113 D sqq.

rima constituatur vita neque sermo erit de locis, ubi talem vitam degere putantur [1]).

Alio loco (p. 36 sqq.) copiosius de hac re disputans ostendi exemplisque illustravi multis, antiquos in ea vulgo fuisse sententia, ut censerent corpore non prorsus vacare qualecumque mortui superesset. Quam ob causam in hac parte huius libri inquirere omitto, quatenus in titulis et in litteris commemoretur status ille mortuorum, in quo corporis natura praediti esse putantur. Inquiretur tantum in haec duo: quae sc. tituli proferunt

A de vita apud inferos sui conscia,

B de ratione, quae inter vivos et mortuos extat.

§ 3. **A.** Mortuos sensu non carère vulgo credebant antiqui, quatenus omnium rerum finem non esse mortem existimarent. Cuius opinionis apud scriptores et Graecos et Romanos ubique leguntur exempla.

---

1) cf. huius libri caput III (quae de Orco et de Elysiis dicta sunt).

Praemiorum in titulis rara fit mentio:

Bch. 1233: vivis in Elysiis.
sic placitum est divis aeterna vivere forma,
qui bene de supero numine sit meritus.

Bch. 435: hi sancte coluere deos vixereque honeste,
post obitum Elysios ut possent visere campos.

Bch. 525. 1: profuit en tibi, quot (sic!) fana coluisti deorum.
5: nunc campos colis Elysios herbasque virentes.

praeterea Bch. 394, 991, 992, 1311; 1047, 1048, 1262, 1273. A. P. VII 545, 690. Kb. 569. Rohde l. l. II³ p. 369 sqq.

Poenae rarius memorantur. cf. Rohde l. l. II³ p. 382 adnot. 6: „In den „Grabschriften (i. e. in titulis Graecis) ist wohl nie von den Strafen der „ἀσεβεῖς die Rede. Auch in Anthol. VII kaum jemals (377. 7 f. Erykios)". cf. Bch. 749 (carm. Christ.):

nulla poenarum te loca ditinent (sic!) horrendae gehennae
(Kb. 367) a deo, Macrina, vivis semper in nomine Christi.

Dubitanter Bch. 1031: si qua manent obitis vitae sine fraude peractae
praemia sub terris, haec Amaryllis habet.

Bch. 1117: si pietas prodest quiquam (sic!), vixisse modeste,
vos precor o Manes, sit mihi terra levis.

cf. Kb. 215: *εἰ δέ τις ἐν φθιμένοις κρίσις ὡς λόγος ἀμφὶ θανόντων.*
48: *κατὰ γῆς εἴπερ χρηστοῖς γέρας ἐστίν.*
61: *εἰ δέ τις εὐσεβίας παρὰ Περσεφόνηι χάρις ἐστίν.*

Comparentur Kb. 259, A. P. VII 658; Euripid. Alc. 745, Herc. Fur. 655—670, Helen. 1013.

In Aeschyl. Choeph. 323 chorus respondit Oresti de morte patris querenti, quod neque verba neque facta ad inferos penetrent:

τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς μαλερὰ γνάθος,
φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς [1]).

et Plato in Phaed. 70 B Cebetem facit Socrati quamvis dubitanter concedentem ὡς ἔστι τε ἡ ψυχὴ ἀποθανόντος τοῦ ἀνθρώπου καί τινα δύναμιν ἔχει καὶ φρόνησιν. (cf. ibid. 111 B, 108 B).

Cicero in Tusc. disp. 1. 26. 27: „Auctoribus ad istam „sententiam (animos sc. remanere post mortem) — uti „optimis possumus — et primum quidem omni antiquitati, „quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc „melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Itaque unum „illud erat insitum priscis illis — *esse in morte sensum,* neque „excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret"; cetera. Cf. etiam ibid. 1. 35: „veri simile est — esse aliquid, „cuius is post mortem *sensum* sit habiturus".

Aeneidos praetermittens librum sextum, qui multa praebet exempla, laudo tantum libr. 4 versus 622, 623, ubi Dido Aeneae sociis irata, precatur:

Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis cinerique haec mittite nostro
Munera.

Nuntius igitur de bellis populo Romano gerendis deque damnis ab iis acceptis ei apud inferos versanti erit gratissimus, quod ne Manes quidem iram omittunt et res in terra actas curantes, earum nuntio gaudent.

Comparentur praeterea Tibull. 1. 5. 51, Ovid. Ibis. 143, alia.

Quae cum ita sint, id iam nemo mirabitur, et inter titulos sepulcrales inveniri, quibus talis opinio significetur; enimvero de variis animi affectibus hic illic sermo est,

---

1) cf. Lucan. 5. 763: nostros non rumpit funus amores, non diri fax summa rogi.

gaudium dolor, gratia invidia, memoria exspectatio usque quaque animis tribuuntur, unde apparet vitam mortuorum sui esse consciam sensisse, qui talia inscriberent.

Exempla affero haec:

Bch. 1324:

sed quod aput Manes sensus valet, impraeco illae [1])
ereptaeque animae, sit quoque terra levis.

cf. Kb. 334:

εἰ δὲ μαθὼν τὸν ἐμὸν μόρον, ὦ ξένε, καὶ σύ με κλαύσις (sic!)
στέρξω· καὶ θνήσκων [2]) *γὰρ ἔχω νόον οὔτινα βαιόν.*

Gaudii post mortem percepti fit mentio

Bch. 588: iam securi suo [3]) gaudete munere Manes
Elysios per campos et dulcia prata vagantes.

Bch. 1250: dum vixi, didici quae mors, quae vita homini esset,
aeterna unde animae gaudia percipio.

cf. Christiana Bch. 681, 702, 754.

Graeca sunt:

Kb. 619: *καὶ προχοαῖς χαίρω ταῖς ἀπ' ἐμῶν ἑτάρων.*

Kb. 240: *εἴης τοι σὺμπατρί· κεχαρμένος* [4]) *ὄφρ' ἂν ἐς αἰῶ*
Σώστρατος ἐν Φθιμένοις μύριον αἶνον ἔχηι.

Aegritudine contra et *dolore* affici dicuntur mortui: [5])

Bch. 1305: nil mihi Lethaei profuit amnis aqua: [6])
durat et infixus noster dolor ad Stygis undas.

praeterea Bch. 610 (Bch. 1085 = 1086; quaeror = queror?), 1055.

quibuscum conferri iubeo:

Kb. 144: *καὶ ἐν Φθιμένοις μετὰ λύπης*
εἰμί, λιποῦσα πόσιν καὶ τέκνα μοι Φίλια.

---

1) i. e. imprecor illi.

2) *θνήσκων* pro *θανών*. Praesens pro Aoristo s. Perfecto raro legitur. cf. Sophocl. Oedip. Tyr. 118, Philoct. 1084, Euripid. Hec. 695. Meisterhans Grammat. d. Att. Inschr.[3] p. 240 § 88. 1 et adnot. 1879 (E. A. 1884, 65): *θνήσκω καί με χθὼν ἥδε καλύπτει.*

3) Adnotat Buechelerus: „memorabile suo adpositum personae secundae ut *τῷ αὐτῶν*, nisi vero pro eius i. genitoris dictum est". An indicatur munus, quod Manibus debetur?

4) Cf. Bailly. Dict. Grec-Français[4] 1903 s. v. *χαίρω*.

5) At cf. huius libri cap. I pars I § 3.

6) Cf. Bch. 1187: inque tuo tristis versatur pectore Lethe.

Kb. 116 (aetat. Roman):

τεθνειὼς δ' οὐκ οἷος ὀδύρομαι, ἀλλ' ὅτι πένθος
ἀμφοτέροις ἔλιπον λυγρὸν ἐμοῖς τοκέσι [1]).

Kb. 151 (valde recentis poëtae), A. P. VII 334, 353 (= 455), 464, 521, 715, 730, 287.

Memoria deinde defunctorum commemoratur:

Bch. 179: Bene adquiescas, Hilara, si quid sapiunt inferi;
tu nostri memento, nos numquam obliviscemur tui.

Simile quid A. P. VII 346: *σὺ δ', εἰ θέμις, ἐν φθιμένοισι*
τοῦ Λήθης ἐπ' ἐμοὶ μή τι πίῃς ὕδατος.

ibid. 730: *κού, μέγα δειλοί,*
οὐδὲ θανόντες ἑῶν [2]) *ἐξελάθεσθ' ἀχέων.*

ibid. 465, Bch. 755 (carm. Christian.).

Alia sequantur promiscue, quae animi affectus indicant:

Bch. 386: invida set fati lex reddidit inrita vota
et tantum miserae *solacia* [3]) linquit amanti,
coniugis in manibus licuit quod reddere vitam.

cf. Kb. 204: *οὐκ ἔπιον Λήθης Ἀιδωνίδος ἔσχατον ὕδωρ* [4])
ὡς σὲ παρηγορίην κἂν φθιμένοισιν ἔχω.

Bch. 1009: Liberta hoc titulo patronum pietatis honorat —
quicquid id est, *gratum* Manibus officium. cf., 431.

cf. Kb. 200: *σοὶ μεγάλων δώρων καὶ νέκυς οἶδα χάριν.*

A. P. VII 657: *εἰσὶ θανόντων,*
εἰσὶν ἀμοιβαῖαι κἂν φθιμένοις χάριτες.

Bch. 512: Sequimini tales, hic vos *expecto*, venitae (sic!). [5])
et Kb. 159, A. P. VII 267.

---

1) cf. Bch. 409: nec solum hoc quia me rapuit Fatum male fecit;
quod mater et pater plangunt, hoc plus male fecit.
A. P. VII. 25.

2) Pronom. reflex. vel possess. tert. pers. pro eodem pronom. secund. person. dictum. cf. A. P. VII 539. 5: *σέ—σὺν οἷς ἑτάροις.* Bailly l. l. s. v. *ἑός*, Kühner Griech. Grammat.[3] II. 1. § 455. 7.

3) Alia mortis solacia vid. 1604: haec sunt, ubi continetur nominis vel generis aeterna memoria. cf. 1030, 1240, 1243, 1849.

4) cf. Kb. 414: *καὶ λήθης οὐκ ἔπιον λιβάδα.*

5) cf. Bch. 141: vos superi bene facite, diu vivite et venite.

Bch. 572: et sum post obitum *felix*.

§ 4. Opinio de vita post mortem sui conscia ex iis quoque elucet, quae capite proximo dicta sunt de ratione, qua compellantur et salutantur mortui (verbis quae sunt have, vale, χαῖρε), qua varia iis optantur (sit tibi terra levis, ossa bene quiescant), quaque coluntur animae.

Facile intellegitur me minime perhibere, omnes qui talia facerent inscribendave curarent, in illa fuisse opinione de mortuis sensu non carentibus et consulto ita egisse, — quam multos earum rerum fugit ratio — sollemnia tamen ac caerimonias, titulorum verba et exempla ab illa opinione originem duxisse veri simillimum est.

Quae autem omnia praetermittens, duas res addo dignas, quae commemorentur, quod iis quoque similis profertur sententia et commendatur. Homines enim interdum mori cupiunt, ut ipsa morte suos revisant carissimos [1]) cumque iis coniuncti mutua consuetudine utantur; qui vero nihil dicerent, nisi subesset spes fore, ut post mortem sibi sensu praeditis consuetudine suorum frui liceret.

Haec sunt exempla:

Bch. 430: et solamen erit quod te iam iamque videbo,
cum vita functus iungar tis umbra figuris.

Bch. 1045: Cissus vivit, sed quam primum cupit ad suam amantissumam pervenire [2]),

Bch. 151 (cf. 150):
Mi fili, mater rogat ut me (sic!) ad te recipias [3]).

Bch. 420 i. f.:
condidit hanc sedem coniunx maerensque diemque
expectans mihi quo felix societur in aevom.

---

1) cf. Das Wiedersehen jenseits des Todes. Eine geschichtliche Untersuchung von D. Georg. Hoffmann, Privatdozent der Theologie, Pastor an St. Bernhardin in Breslau. Leipzig 1906 et ibi § 2: Die Allgemeinheit des Wiedersehensgedankens.

2) Haec carmina et alia nonnulla laudavit BLier l.l. pars I § 8, disputans de superstitum hominum dolore et luctu.

3) cf. Dessau 8147: Lagge fili, bene quiescas, mater tua rogat te ut me ad te recipias.

Bch. 493: amissa est coniunx, cur ego et ipse moror?
Bch. 1148: omnia Ditis habet praeterquam nomen eoru (sic!)
(i. e. patris et filii)
nec comitem nati me sinit esse mei.

praeterea Bch. 424, 613, 1057, 1265, 1550 et Christiana 702, 708, 1388, 1433.

Conferatur Bch. 972:

Quae tibi cumque mei potuerunt pignora amoris,
nata, dari, populo sunt lacrumante data.
et volui maiora nimis, sed cura meorum
fida tuei prohibet me cinerem esse rogi.

Similia apud Dessau 8190:

Mevia Sophe, impetra, si quae sunt Manes, ne tam scelestum discidium experiscar diutius.

et apud Cholodniakum

73: nam nunc queror aput manes eius (uxoris) et flagito Ditem: aut et me reddite meae.

288: virum expecto meum.

1075*a*: iam trahor in tenebras ducorque amplectere fratrem.

Comparentur Graeca:

Kb. 266: *μὴ μύρου, Φίλ' ἄνερ, με· καὶ αὐτὸς ἐκεῖ γὰρ ὁδεύσας*
εὑρήσεις τὴν σὴν σύνγαμον Εὐτυχίην.

Kb. 558 (= I. G. R. II, 360):

τοιγάρτοι καὶ ἐμεῖο δικαιοτέρην ὄπ' ἄκουσον
εὐχομένου, Πλούτων, ἣν εἰς 'Αίδαο περήσω
εὑρεῖν τὴν ἰδίαν Φηλικίταν παρὰ σοί. ibid. 240.

et Plato Phaedo 68 A: *πολλοὶ δὴ ἑκόντες ἠθέλησαν εἰς Ἅιδου ἐλθεῖν, ὑπὸ ταύτης ἀγόμενοι τῆς ἐλπίδος, τῆς τοῦ ὄψεσθαί τε ἐκεῖ ὧν ἐπεθύμουν καὶ συνέσεσθαι.*

§ 5. Eodem modo homines cupiunt, tumulo se iungi, aut superstites gaudent, mortuos duos pluresve eodem contineri sepulcro [1]). Quae sententia in formulam ita abiit, ut olla vel titulis mortui legantur esse coniuncti.

---

1) cf. Bgk. P. L. G. II³ p. 662. 26 (pepl. Arist.): non bene discordes tumulos miscetis, Achivi.

Cf. Bch. 1142: namque simul posita est fatoque tenetur eodem,
quodque modo potuit, morte secuta virum.
haec est sancta fides, haec sunt felicia vota,
amplexus vitae reddere post obitum.
fortunati ambo — si qua est, ea gloria mortis —
quos iungit tumulus, iunxerat ut thalamus [1]).

A. P. VII 378: *ἄμφω δ', ὡς ἅμ' ἔναιον, ὑπὸ πλακὶ τυμβεύονται,*
ξυνὸν ἀγαλλόμενοι καὶ τάφον ὡς θάλαμον.

Bch. 444: utinam nos Fatus texisset utrosque.

Bch. 1027: His foribus carae recubant mihi coniugis ossa.
expectantque suis [2]) ut mea contribuam.
Tossius ista tibi promisit saepe petenti: [3])
praestabit, Manis si modo tangit amor.

praeterea Bch. 454, 680, 828, 1205, 1229, 1273, 1563 (= Dessau 8401) et Christiana 666, 718 [4]).

Bch. 1347: Solamen tanti coniux tamen optima luctus
hoc Proba sortita est, iungat ut *urna* pares.

quocum conferas

Dessau 8466: M. Volcius M. l. Euhemer. rogat post mortem suam ut cum Volcia Chreste coniuge sua ut (delendum!) in una olla corporis reliquiae essent [5]).
M. Volcius M. f. Cerdo dis Manibus satis fecit.

Simillima ibid. 8467, 8468, 8469 (ossibus permixtis). [6]) cf. Dessau 7846—7872: sepulcra communia.

---

1) Simillimum carm. Christian. Bch. 1413 (cf. 1432, 1559):
Domnica sed coniunx retinet commune sepulcrum,
iuncta toris quondam iungitur et tumulis.
cf. Bch. 1559. 4/5 et I. G. R. fasc. I. 16:
ἀλλ' οὔτοι νόσφιν γε σέθεν ποτὲ κείσομαι αὐτή·
ὡς πρὶν δ' ἐν ζωοῖσιν ὁμὸς δόμος ἄμμι τέτυκτο,
ὣς καὶ τεθνειῶτας ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύψει.

2) Expectatur: sibi. nec quidquam mutandum videtur.

3) cf. Dessau 8029: cui vivae petenti ut reliquiae suae cum matris et patris conderentur obsequium praestiterunt.

4) cf. Bch. 1829: nam iuvenem pater et properantem mater habetis. (prius igitur mortui sunt parentes).

5) cf. ibid. 7354: Simitur (i. e. simul) cum Mida sita est in eadem olla.

6) cf. Propert. 2. 8*b*. 23: et sua cum miserae commiscuit ossa puellae.

Comparentur:

A. P. VII 330: *σύν τε γυναικὶ Καληποδίῃ τεῦξεν τόδε σῆμα*
ὡς ἵνα τὴν στοργὴν κὴν φθιμένοισιν ἔχοι.

Kb. 516: *εὔξατο δ' αὖ μακάρεσσι καὶ εἱμερτὴν παράκοιτιν*
τοῦδε λαχεῖν τύμβου, γήραος εὖτε τύχοι.

ibid. 445: *τὰς σόρους — ἑκάτερθε — ἔκτισαν — παῖδες*
— ὄφρα πέλοιντο φίλῳ παρὰ πατρὶ θανόντες.

praeterea Kb. 297*a* in Add., 491, 576, 590; I. G. R. I 258; Sophocl. Antig. 73; Euripid. Hec. 896; Catull. 5. 6; Ovid. Metam. 4. 151.

§ 6. Cave dubites, quin et apud Romanos et apud Graecos multi essent incerti, quid hac de re sentirent; qui suam opinionem in titulis et in libris saepe protulerunt. Exempla inveniuntur:

Bch. 179: Bene adquiescas, Hilara, si quid sapiunt inferi.
Simillima Bch. 180, 647, 1538. C. I. L. VI 25489.
cf. Dessau 8128: Si quod sapiunt inferi, have! et 8404.
Bch. 428: si sapiunt aliquid post funera Manes.
Bch. 1147: siquid Manes sapiunt.
Bch. 1339: siquis post funera sensus.
Bch. 1552: si post fata manet sensus.

In Graecis carminibus sepulcralibus eadem iam legitur sententia expressa, e. gr. apud Kaibelum 700:

ἀλλ' εἴ γ' ἐν φθιμένοισί τις αἴσθησις, τέκνον, ἐστίν,
κοῦφον ἔχοις γαίης βάρος εὐσεβίης ἐνὶ χώρῳ.

et usitata est formula: *εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν Ἅιδου.* Conferantur Apolog. Socr. 40 D: *εἴτε μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος*, et saepissime oratores Attici [1]): Isocrat. Aeginetic. 42: *εἴ τίς ἐστιν αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων.* Similia Plataic. 61, Euagoras 2; Lycurgus contra Leocratem § 136 c. 35. Demosthenes contra Leptinem § 87: *εἴ τινες τούτων τῶν τετελευτηκότων λάβοιεν τρόπῳ*

---

1) cf. Dieterich l. l. p. 136 (Lysias contra Eratosthenem § 100).

τινὶ τοῦ νῦνι γιγνομένου πράγματος αἴσθησιν. Idem de falsa legat. § 66 [1]).

Est sententia, qualis optime quadret in Consolationes, in quibus usque quaque redit:
Plutarch. Cons. ad Apoll. 15: εἴ γε μὴν ὁ θάνατος τελεία τίς ἐστι φθορὰ καὶ διάλυσις τοῦ τε σώματος καὶ τῆς ψυχῆς — ἀναισθησία γάρ τις κατ' αὐτὸν γίνεται κτλ.
Senec. ad Polyb. de consol. 5. 1: „nulla itaque eius officii „ratio est, quod ei, cui praestatur, si nihil sentit, super- „vacuum est, si sentit, ingratum est".
Ibid. 5. 2: „Quid itaque iuvat dolori intabescere, quem, si „quis defuncti sensus est, finiri frater tuus cupit?"
Ibid. 9. 2, 3: „nam si nullus defunctis sensus superest — „si est aliquis defunctis sensus".
Consol. ad Liviam 469: „Haec sentit Drusus, si quid modo sentit umbra".

Alia exempla in titulis Latinis haec sunt:
Bch. 545: et si nostra tuos tangunt suspiria sensus.
Bch. 576: credo tibi gratum, si haec quoque Tartara norunt [2]).
cf. Kb. 720: εἰ δέ τίς ἐστι νόος παρὰ Τάρτασιν (sic!) ἢ παρὰ Λήθῃ,
ἧς ἔσχον σπουδῆς ἐπί σοι νῦν κατέχεις χάριτα.
Bch. 1102: si datur extinctis mentem retinere priorem,
respice, Birroni, munus amicitiae.
Praeterea Bch. 1027, 1555, 433.
A. P. VII 23: εἰ δή τις φθιμένοις χρίμπτεται εὐφροσύνα.
Eiusmodi sententia Christiano titulo inserta videtur:
Bch. 1370: Post mortem si vivit amor, si gratia prisca
durat in arcanum mentis adacta bonum,
quamvis luctificum fratris tamen accipe carmen..

1) cf. Polyb. 8. 14. 8 apud Rohdium l. l. II² p. 354 adnot. 2, et ibid. II² p. 393 adnot. 3.
2) cf. Catull. 96. 1: Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
accidere a nostro, Calve, dolore potest.
Sophocl. Electr. 356: εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις.

nisi vero his verbis de vinculis, quibus consanguinei vivi erant coniuncti, dubitatur an post vitam remaneant [1]).

§ 7. Sunt denique tituli, qui opinionem proferant illam inde ab Homero receptam ac divulgatam de animarum post mortem statu, quo nihil sentiunt omnique sensu carent. Notissimi sunt Odysseae versus (11. 475 sqq.), ubi Ulyxem rogat Achillis anima:

πῶς ἔτλης Ἀϊδόσδε κατελθέμεν, ἔνθα τε νεκροὶ
ἀφραδέες ναίουσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων [2]);

Alia eius modi apud tragicos poetas leguntur:

Aeschyl. fragm. 257: *μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βρότους.*
fragm. 244: *ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νέκρου.*

Simillima Sophocl. Oedip. Col. 955, Euripid. Alc. 937.

Euripid. Troad. 637: *τέθνηκε, κοὐδὲν οἶδε τῶν αὐτῆς κακῶν.*
cf. Euripid. fragm. 176, Theognis 1191—1195.

Theognis 705:
(Persephone) *ἥτε βροτοῖς παρέχει λήθην, βλάπτουσα νόοιο.*

De Lethes haustu in titulis Graecis saepe sermo est: Kb. 312: *Νύξ, λήθης δῶρα φέρουσ' ἐπ' ἐμοί* (cf. Bch. 1187).
cf. Kb. ibid.: *τοῦ δὲ σὺ μηδὲν ἔβης ἐσθομένα* (= *αἰσθ.*) *εἰς Ἀίδαν.*

In titulis Latinis haec exempla:

Bch. 1582: nunc levis adque meo iaceo tumulo, neque sentio quicquam.
Bch. 1095: nec scio quit nunc sim nec scio quit fuerim.
Bch. 507: desine iam flere: poenam non sentio mortis.
Bch. 565: o utinam possit reparari spiritus ille,
ut sciret quantus dolor est [3]).

cf. Bch. 542:
Manes si saperent, miseram me abducerent coniugem.

Ubi, quid modo irreali significetur, perspicuum est.

---

1) cf. Bch. 771: Paulina hic posita est clarissima femina mater
quae meruit miserante deo ut funus acerbum
nesciret natae, quae mox in pace secuta est.

2) Cave ne conferre omittas ibid. 147—150.

3) Huc quoque pertinere videtur Bch. 438 (carmen corruptum): Iam non sentit onus. cf. A. P. VII 19: *ἄχθος ἀπορρίψας οἴχεται εἰς Ἀίδαν*, ubi servitutis onus significatum esse censet Welckerus, ut adnotat Stadtmuellerus.

Praeterea Senec. ad Marc. de consol. 19. 4. 5 et quae huius libri caput I, pars I § 5 de somno dicta sunt.

§ 8. **B.** Apud antiquissimos Romanos, qui planiora de mortuorum condicione et uberiora nondum proferunt, *di parentum* tantum commemorantur: sunt defunctorum maiorum animae, quorum praecipuae partes erant in domo familiaque tuendis, qui, diebus parentalibus et Feralibus [1]) colebantur, quibus Lemuria [2]) quoque sacra erant. De *dis Manibus* praeterea apud eos sermo est, quo nomine notantur et comprehenduntur omnes mortis atque inferorum dei. Postea [3]) ipsae mortuorum animae divina potestate *singulae* frui putantur, quae animae divinae nomine deorum Manium significatae in deorum parentum locum succedunt; usitata tum in titulis fit formula: Dis Manibus illius [4]).

Posteriorum denique temporum est, distinguere Lemures, Larvas, deos Manes, ut legitur apud Apuleium, de deo Socratis 15:

„Est et secundo signatu species daemonum, animus hu-„manus exutus et liber, stipendiis vitae corpore suo abiu-„ratis. Hunc vetere Latina lingua reperio *Lemurem* dictatum. „Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam „sortitus pacato et quieto numine domum possidet Lar „dicitur familiaris. Qui vero propter adversa vitae merita, „nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exilio „punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, caeterum „noxium malis, hunc plerique *Larvam* perhibent. Cum vero „incertum est quae cuique sortitio evenerit, utrum Lar sit „an Larva, nomine *Manium deum* nuncupant et honoris „gratia Dei vocabulum additum est" [5]).

---

1) cf. Wissowa l. l. p. 187. 2) cf. ibid. p. 189.

3) BSchröder, Bonner Jahrb. p. 66: „Griechisch ist die Sitte der Ver-„gottung, unter Griechischem Einflusz gelangt sie nach Rom, gewinnt etwa „seit Nerva allgemeine Verbreitung und stellt sich neben den italischen „Geniën- und Manenglauben", id quod vix verum videtur. cf. p. 105 et adnot. 1.

4) De dis parentibus in titulis vix sermo est. cf. huius libr. cap. II § 7.

5) cf. Wissowa l. l. p. 153.

Utrique autem et di parentum et di Manes (posterioris sc. aetatis) mortui sunt, quatenus aut prodesse aut nocere possint; auctores sunt superstitibus hominibus et bonorum et malorum, quo fit ut maximi habeatur momenti, si hominibus sit gratia cum illis.

Eaedem vel pleniores de mortuorum vi ac potestate apud Graecos inveniuntur sententiae, quas ab iis mutuatos esse Romanos veri simile non est; talia enim in ipsa rerum natura posita sunt [1]).

Iam antiquissimi Graeci mortuis superstites laedendi copiam datam esse crediderunt; ex iis enim, quae Mycenis effossa sunt, apparet ante Homeri aetatem mortuos non solum sepeliri, sed etiam sacrificiis post mortem coli [2]). Quae consuetudo, quamquam Homericorum carminum temporibus recessit, utpote quae diversa esset ab iis quae ea aetate vulgo sentirent homines, iterum ac saepius tamen profertur, ut explanavit E. Rohdius in libri sui parte prima, et postea contempta Homeri auctoritate latius est divulgata. Iam inde a poetis tragicis mortuorum vis ac potestas vulgo probatur, quorum invocant auxilium, deprecantur invidiam superstites.

Conferantur:

Aeschyl. Choeph. 147: ἡμῖν δὲ πόμπος ἴσθι τῶν ἐσθλῶν ἄνω,
σὺν θεοῖσι καὶ γῇ καὶ δίκῃ νικηφόρῳ.
τοιαῖσδ᾽ ἐπ᾽ εὐχαῖς τάσδ᾽ ἐπισπένδω χοάς.

---

1) cf. Leo Bloch, Antike Religion apud W. Kroll, Die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert p. 446: „Die nicht verstandene Er„scheinung vom Tode muszte, sobald man sich einmal anfing Gedanken „zu machen, zu dem Glaube an ein Fortwirken der vom Leibe getrennten „Seele führen. Die Stellungnahme zu diesen Totengeistern hat sicherlich „auf die Entwickelung (?) der religiösen Vorstellungen den nachhaltigsten Ein„flusz ausgeübt. Und da man sich nach dem Warum? am ersten bei widrigen „Vorkommnissen fragt, so nahmen diese Seelen naturgemäsz ein unheim„liches furchtbares Ansehen an. Dieser Gedankengang ist allgemein mensch„lich und so findet sich dieser Seelenglaube allenthalben".

cf. ibid. p. 455: „Noch fruchtbarer etc. et huius libr. p. 131 adnot. 3.

2) cf. Rohde l.l. I[3] p. 32 sqq., Guhl und Koner. Leben der Griechen und Römer[6] p. 31.

ibid. 479. 480: πάτερ, τρόποισιν οὐ τυραννικοῖς θανών,
αἰτουμένῳ μοι δὸς κράτος τῶν σῶν δόμων.

Sophocl. Electr. 453: αἰτοῦ δὲ προσπίτνουσα γῆθεν εὐμενῆ
ἡμῖν ἀρωγὸν αὐτὸν εἰς ἐχθροὺς μολεῖν.

Trachin. 1201: μενῶ σ' ἐγὼ
καὶ νέρθεν ὢν ἀραῖος εἰσαεὶ βαρύς.

Euripid. Electr. 677. 679:
σύ τ' ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν, πάτερ,
ἄμυν' ἄμυνε τοῖσδε φιλτάτοις τέκνοις.

Heracl. fur. 494: ἄρηξον, ἐλθὲ κἂν σκιὰ φάνηθί μοι.

Ex ceteris ea tantum velim compares, quae leguntur apud Xenophontem in Cyropaed. 8. 7. 18: τοῖς δὲ φθιμένοις τὰς τιμὰς διαμένειν ἔτι ἂν δοκεῖτε, εἰ μηδενὸς αὐτῶν αἱ ψυχαὶ κύριαι ἦσαν; ubi totum locum vid.

Divino itaque honore fruuntur mortui, unde nominibus significantur, quae sunt μακάριος, μακαρίτης, εὐδαίμων [1]). Conferatur exempli causa Aristoteles apud Plutarch. Cons. ad Apoll. 27: διόπερ, ὦ κράτιστε πάντων καὶ μακαριστατε, καὶ πρὸς τῷ μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι τοὺς τετελευτηκότας νομίζομεν, καὶ τὸ ψεύσασθαί τι κατ' αὐτῶν καὶ τὸ βλασφημεῖν οὐχ ὅσιον, ὡς κατὰ βελτιόνων, ἡγούμεθα καὶ κρειττόνων ἤδη γεγονότων, et ibid. 34: ἐκείνῳ τῷ μακαρισθέντι οὐκ ἦν κατὰ φύσιν περαιτέρω τοῦ ἀπονεμηθέντος αὐτῷ χρόνου πρὸς τὸν ἐνθάδε βίον περιμένειν. Lucian. Philopseud. 27: τὴν μακαρῖτιν μου γυναῖκα τὴν τούτων μητέρα πάντες ἴσασιν ὅπως ἠγάπησα. Et in titulis sepulcralibus usitatissimum hoc: χαῖρε, μάκαρ (Kb. 361). Cf. Kb. 433, 546, 441, 288*a* (Suppl. in praef.) et 368: κλαύσατε δαίμονα πάντες.

Latine *sancti* [2]) dicuntur.

---

1) cf. Rohde l.l. II[3] p. 346 adnot. 6, p. 347 et adnott. 1. 2. 3, ubi etiam de χρηστοῖς sermo est. Tria vocabula uno versu leguntur Theogn. 1013:
Ἆ μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος
ἄθλων εἰς Ἀΐδεω δῶμα μέλαν καταβῇ.

2) Sancta (Bch. 469, 476, 736, 754, 974, 1029, 1269, 1534, 1595, 1615, 843) et sanctissima (Bch. 132, 191, 439, 493, 499, 550, 574, 603, 1300, 1586) mulieris epitheta, quae in titulis frequentantur, idem valent ac pura, integra. De marito dictum Bch. 1247, 1592.

Tibull. 2.6.31: Illa mihi sanctast. Aen. 12.648: Sancta ad vos (sc. Manes) anima descendam. Valer. Flacc. 6. 287: Sancte, mihi Vorapte pater. Cic. Philipp. 14. 33: Sanctissimi milites. Dessau 8006: animae sanctae colendae. Ibid. 8013: dis manibus sacris sanctis castis piis. Ibid. 7988, 7989. Bch. 525: hos versus tibi, sancte, nepos, victorque devovi. Bch. 1155: optestor Manes meritae sanctaeque patronae. Bch. 1125: Sancta, tibi hunc titulum pueri posuere merenti. cf. 654. Bch. 1324 huc pertinere mihi non videtur.

Nomine porro, quod est *ἥρως*, heros [1]) saepissime significantur mortui; vox *ἥρωες* postrema aetate idem valet ac *τετελευτηκότες*, ut *ἡρῷον* [2]) vel heroum legitur pro monumento, mausoleo [3]).

Conferantur Kb. 314 (*θεοῖς ἥρωσιν*), 483 (*σῆμα τόδ' ἥρωος*), 433 (*ζῆς ὡς ἥρως*), 510 (*ἥρωες χρηστοί*) et verbum frequentatum *ἀφηρωίζειν* [4]).

Vocis, quae est heros, usus paulatim amplificatus, qua vel omnes mortui homines postremo significentur, opinionem de mortuorum potestate conceptam non modo inveteravisse, sed etiam crevisse docet [5]). Cuius rei analogiam [6]) Romani

1) cf. Rohde l.l. II^3 p. 348: „Deutlicher und bewusster spricht sich die „Vorstellung einer Erhebung des abgeschiedenen Geistes zu höherer Würde „und Macht aus, wo der Verstorbene ein Heros genannt wird". Praeterea Deneken in Roschers Mythol. Lex. s. v. Heros et C. M. Kaufmann, Die Jenseitsdenkmäler p. 4 sqq. Rohde l.l. I^3 p. 256 adnot. 1, II^3 pp. 348—362, I^3 p. 152 sqq., II^3 p. 316 adnot. 1.

2) cf. Dessau 8093, 8094, 8230; I. G. R. III 661, 698.

3) Vox legitur Bch. 579 (maesoleum) et Bch. 1237 in adscript. (mesolaeum). cf. Dessau 8095, 8096, 8097, 8098, 8099, 8100, 8101.

4) I. G. R. III 619: Heroi sacrum.

5) cf. BSchröder, Bonner Jahrb. l.l. p. 46: „In der Griechischen Welt „hatte der Glaube an Heroisierung eine immer gröszere Ausdehnung ge„wonnen und war in der Zeit der römischen Herrschaft zu der gewöhn„lichsten Vorstellung vom Fortleben nach dem Tode geworden" et Rohde l.l. II^3 p. 362: „Es liegt doch auch in der Vergeudung des Heroennamens „und seiner allzu bereitwilligen Austheilung an Verstorbene aller Art noch „ein Anzeichen dafür, dass im sinkenden Altertum die Vorstellung von „Macht und Würde der abgeschiedenen Seelen nicht gesunken war, sondern „sich gesteigert hatte."

6) cf. Rohde l.l. I^3 p. 154: „Nicht also Seelencult ist der Heroendienst, „sondern in engerer Begrenzung Ahnencult."

quoque proferunt, apud quos Di Manes, *singulae* mortuorum animae, in locum succedebant deorum parentum, qui proprie maiorum erant animae.

§ 9. De animarum cultu, cui haec quoque de mortuorum potestate opinio divulgata quasi fundamentum iactum est, cum superiore capite uberius iam dictum sit, restat ut inquiratur, quatenus quae de eius modi potestate sentirent superstites, in carminum sepulcralium forma constituenda appareat.

a. Mortui, quod opibus magnopere valere putantur, invocantur, ut superstites tueantur suisque faveant [1]).

Bch. 106: Manes colamus, namque opertis Manibus
divina vis est aeviterni temporis.

Quo carmine ea manium potestas aperte probatur. cf. Plato Leg. 11, 927 A: *ὡς ἄρα αἱ τῶν τελευτησάντων ψυχαὶ δύναμιν ἔχουσί τινα τελευτήσασαι, ᾗ τῶν κατ' ἀνθρώπους πραγμάτων ἐπιμελοῦνται.*

Bch. 1829: ergo velut deus esse velis mihi dexter in aevom [2]).

Bch. 1508: (maritus superstes corpus uxoris defunctae)
unguento et foleo rosisque plenum
ut numen colit anxius merentis.
parcas, oro, viro, puella parcas
ut possit tibi plurimos per annos
cum sertis dare iusta quae dicavit.

---

1) cf. Dessau 8201 *a*: tu, qui legis et dubitas Manes esse, sponsione facta invoca nos et intelleges.

2) cf. Bch. 975: corpore consumpto viva anima deus sum. Bch. 1109: desine flere deum. Adnotat BSchröder l. l. p. 63: „Wichtig das Gedicht „durch die frühe Zeit und die Deutlichkeit mit der in ihm der Glaube an „Vergottung hervortritt."

Bch. 1532 (simillimum 974) = Dessau 8168:
mortua heic ego sum et sum cinis, is cinis terrast,
sein est terra dea, ego sum dea, mortua non sum.

Est Epicharmi epigramma (Bgk. P. L. G. II³ p. 569, ubi vid. adnot.):
εἰμὶ νεκρός, νεκρὸς δὲ κόπρος, γῆ δ'ἡ κόπρος ἐστίν,
εἰ δέ τε γῆ νεκρός ἐστ', οὐ νεκρός, ἀλλὰ θεός.

cf. Bch. 94, 1277, 1288 (BSchröder l. l. p. 61). Cic. de leg. II. 22: Deorum Manium iura sancta sunto: sos leto datos divos habento. ibid. 55: nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent.

Bch. 576: Donata pia iusta vale, serva tuos omnes.
Bch. 1020: sit tibi terra quies, parcite [1]) et ipse tuos [2]). Bch. 383.
Bch. 1164: Di Manes, manes sitis [3]).
ubi manes idem valere putat Cholodniakus ac „propitii".

Non singulae mortuorum animae dicuntur, sed di potius inferi in his:

Bch. 546: saltem quod superest oro, scio namque favebis,
funde preces (sc. dis inferis), subolum ac votis utere nostris,
ut longum vitae liceat transducere tempus.

Bch. 1036 (loquitur mortua):
di Manes, me unam retinete, ut vivere possint
quos semper colui viva libente animo. cf. Bch. 502.

Exempla in titulis Graecis perpauca mihi innotuerunt [4]).

cf. Kb. 243: *ἴλαθι καί μοι ὄπαζε νόσων ἄκος, ὡς τὸ πάροιθεν,*
νῦν γὰρ θειοτέρην μοῖραν ἔχεις βιότου.

Eius modi sententia in Christiana quoque carmina translata est:

Bch. 653: Sanctique tui manes nobis petentibus adsint,
ut semper libenterque salmos tibique dicamus.
Bch. 1443: Festa, decus nostrum, certe veniemus in unum,
si mihi vita proba, si tibi cura mei est [5]).

---

1) De verbo parcendi interdum Accusativo iuncto vid. exempla apud Georges Wörterb. [7] s. v. Conf. Bch. 837 (= Dessau 8195*b*), ubi idem legitur accusativus, si cum Cholodniako „pias" restituis pro „piae." Sin autem cum Buechelero legis: „parce piae Manes" interpretari licet: „parce pienter Manibus"; item igitur pro Accusativo habetur vox Manes.

2) cf. Tibull. 3. 5. 21: Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna dei.
ibid. 2. 6. 29, Cholodn. 1232.

3) cf. Cholodn. 1255*a*: Sint tibi placati Manes. Bch. 1043.

4) Huius rei causam optime exposuit BLier l. l. I § 4: „Neque vero „neglegendum est titulorum sepulcralium graecorum multo minorem numerum „servatum esse quam latinorum. Quae cum ita sint, mirum non est, quod „in Graecorum titulis non tot numero exempla inveniuntur, quot in Roma„norum titulis collegimus: immo ne hoc quidem mireris, si una alterave „sententiae forma in Graecorum titulis omnino non invenitur; hoc enim „magna quidem ex parte casui tribuendum est."

5) cf. Bch. 920:
hoc (i. e. signum crucis) tu sive pius frontem sive pectora signes,
nec Lemorum insidies (i. e. insidias) expectaraque (*i.* e. spectraque) vana time.

Ex scriptoribus denique latinis tria tantum afferre liceat exempla:

Verg. Aen. 12. 646: vos o mihi, Manes, este boni.

Tibull. 2. 6. 33: illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo.

Tacit. Ann. 2. 8: precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret.

b. Di Manes e vita abripere dicuntur homines.

Bch. 1057: si sunt di manes, iam nati numen habetis:
per vos cur voti non venit hora mei?

i. e. cur, filii mei, me patrem vestrum ad vos non recipitis?

Bch. 1164: Di Manes, manes sitis: iam morte misellis
praepropera senibus sero datum (i.e. filium) rapitis.

Bch. 1224: quem quoniam Manes ut alumnum di rapuerunt.

Bch. 1572: quem di Manes properarunt eripere immaturum.

praeterea Bch. 1034, 1555 et carmen iam alio loco laudatum (Bch. 150): mater rogat, ut me ad te recipias.

Conferantur Cholodn. 73: Mevia Sophe impetra, si quae sunt manes, ne tam scelestum discidium experiscar diutius. et A. P. VII 466:

ἆ δείλ' Ἀντίκλεις, μεμορημένε, πένθεος εἴης
ἰητήρ, ζωῆς ἔκ με κομισσάμενος.

Ovid. Amor. 2. 6. 39:
optima prima fere manibus rapiuntura varis [1]).

c. Di Manes scelera commissa ulcisci dicuntur.

Bch. 1604: Mortua est mulier, postquam per multa tempora

---

1) In carm. Christian. Bch. 656:
hic est sepultum (sc. corpus), donec resurgat ab ipso
quique animam rapuit, spiritu sancto suo.

idem 720. cf. 709, 718, 790: vocatus a domino.

Multa sunt carmina, quae alias proferunt causas, quibus homines e vita abripi dicuntur, quae omnia narrare nimium neque meum est. Enumerare liceat exempla haec: invidia deorum (Bch. 54, 596), hora tristis fatalis (55), fortuna dura (404) s. iniqua (68, 467), lex fati (386), fatorum cursus properans (429), naturae leges fatorumque ordo (432), iniqua fatorum sors (614). Saepissime autem nominantur fatum s. fata et Parcae infestae, sicut in carminibus Graecis μοῖρα et rarius Κῆρες.

iacuit carminibus defixa, ut eius spiritus vi extorqueretur potius quam naturae redderetur:

cuius admissi vel Manes vel di caelestes erunt sceleris vindices [1]).

d. Manes mortuo obviam veniunt, eum accipiunt, ad sedem suam deducunt [2]), aut domicilia parant, omnia denique curant, quae ad fortunam modo defunctorum spectant [3]).

Exempla sunt haec:

Bch. 423: *accipite* hanc animam numeroque augete sacratam [4])
Arria Romano et tu Graio Laodamia.

cf. Kb. 624: *οἳ στύγιον χῶρον ὑποναίετε, δαίμονες ἐσθλοί,*
δέξασθ' εἰς 'Αίδην καί με τὸν οἰκτρότατον.

Dessau 8007: dei Manes receperunt Abulliam N. l. Nigellam.

ibid. 8129*b*: ossa Nicenis hic sita sunt. Superi vivte (sic!), valete!
infri (sic!), havete, recipite Nicenem.

Sophocl. Electr. 1165:
σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος. Consol. ad Liv. 329.

Bch. 1165: Umbrarum secura quies animaeque piorum
laudatae colitis quae loca sancta Erebi,

---

1) cf. quae huius libri p. 47 et adnot. 1 dicta sunt de mortuorum facultate nocendi. Rohde l.l. I[3] p. 264 adnot. 2.

2) cf. Rohde l.l. I[3] p. 10 adnot. 1 ad Hom. Od. 14. 207: ἀλλ' ἤτοι τὸν Κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι εἰς 'Αΐδαο δόμους: „hier geleiten (die Keren) „den Todten in das Reich des Hades. Sie sind Hadesdaemonen, nach „ursprünglicher Bedeutung selbst dem Leben entrissene „Seelen": es ist „eine wohlverständliche Vorstellung, dass solche Seelengeister, herumschwe„bend, ausfahrende Seelen eben gestorbener Menschen mit sich fortraffen „zum Seelenreiche."

3) cf. Bch. 492: qualis enim fuerit vita, quam deinde pudica,
si possem effari, cithara suadere(m) ego Manes.

i. e. persuaderem, ut animam blande acciperent ac suaviter tractarent.

4) Adnotat Buechelerus: „mortuo adversum venientium umbrarum imagi„natio vetus ac frequens (Culic. 261. Juven. 2. 156)." cf. comminatio (Dessau 8184): Qua (= quae sc. ossa) si quis violaverit aut inde exemerit, opto ei ut cum dolore corporis longo tempore vivat et cum mortuus fuerit, inferi eum non accipiant. Bch. 776 (carm. Christian.): recipe tu nos et mios. An de Christo dictum?

sedes insontem Magnillam *ducite* vestras
per nemora et campos protinus Elysios [1]).

Bch. 1292: Dulcis aput Manes Zoe benedicta moraris.
tu secura iaces, nobis reliquisti querelas.
precesti *hospitium dulce parare* tuis.

Bch. 1559 (adloquitur vir prius mortuam coniugem. Bch.)
Parato hospitium: cara iungant corpora
haec (sic!) rursum nostrae sed perpetuae nuptiae.

Bch. 856 (de coniuge prius defuncta dictum):
hospitiumque mihi secura servavit in aevum.

cf. Dessau 8148 (formam dialogi prae se fert titulus): Labeo Thyrso: rogo te, expedi mi hospitium; nam quod hic ad superos mi dedisti, eiectus sum. Thyrsus Labeoni: veni; omnia parata sunt ad me.

Pariter Di Manes rogantur a mortuis aut a superstitibus, ut levem praebeant terram.

Bch. 1117: vos precor o Manes, sit mihi terra levis [2]).

Bch. 1029 (orat maritus superstes):
nunc vos contestor, Manes, quibus ossa relinquo,
Tellus, huic tumulo ne gravis esse velis.

Bch. 1155 (mater in honorem filiae versus inscribens monumento patronae):
optestor Manes meritae sanctaeque patronae
et comprecor ut leni terra tegat tumulo [3]).

---

1) cf. Marquardt Privatleben [2] p. 353 de ritu sepeliendi: „Die Ahnen „erscheinen um den Todten in die Unterwelt abzuholen, und führen daher „den Zug." Apud Euripidem (Alc. 870, 871) ipse *θάνατος* mortuos abducit ad inferos, alio loco ipse Hades aut Hermes. cf. Plato Phaed. 107 D.: *λέγεται δὲ οὕτως, ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει, οὗτος ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, οἷ δεῖ τοὺς συλλεγέντας διαδικασαμένους εἰς Ἅιδου πορεύεσθαι μετὰ ἡγεμόνος ἐκείνου, ᾧ δὴ προστέτακται τοὺς ἐνθένδε ἐκεῖσε πορεῦσαι.* Plutarch. de sera numin. vind. 22 p. 563 *d* (Dieterich l. l. p. 145 sqq.).

2) cf. Cholodn. 487: Incolumes parentes manes, estote boni, ut martis (?) in pace bona quiescat.

3) cf. Bch. 1280: sacravitque deis Manibus huncinerem. (sic refecit editor).

EPILOGUS.

Non indignum videtur, quae de hominum post mortem condicione e carminibus sepulcralibus latinis cognovimus, summatim breviterque exponere.

Non magnum esse numerum carminum, quae immortalitatem negent, iam statim apparuit; sunt alia porro carmina non multa, quibus de hac re dubitatur, alia quibus sitne aliquid post mortem quidve hominis defuncti supersit, nulla fit mentio.

Pars autem maior titulorum sepulcralium animi immortalitatem docet (cap. I).

In iis porro investigandis, quae post mortem superesse Romanis visa sunt, apparuit cum in litteris tam Graecis quam Latinis tum in titulis raro scriptum legi de ea post mortem condicione, qua animus cum corpore coniunctus remaneat; latius autem fuisse divulgatum hominis post vitam exactam non solum exstare animum, sed etiam cum animo coniunctum corporeum quid; quod cum imago species umbra manes anima animus mens appelletur, earum vocum quae sint significatio et usus, expositum exemplisque illustratum est (cap. II).

Investigavimus deinde, quibus sit locis quod post mortem remanet.

Demonstravimus ab variis sententiis duas facile discerni: sub terra remanere animas et in caelo eas versari; qui vero sub terra habitare mortuos putarent, ita sensisse ut aut animarum regnum in inferioribus terrae partibus esse fingerent (unde profecti de inferorum nominibus, tenebris,

fluminibus disputavimus) aut in sepulcris vel circa sepulcra versari animas existimarent (quae ostendimus sepulcrorum nominibus, vivorum consuetudine sepulcrum faciendi, sepulcrorum cura, toto denique mortuorum cultu exemplis usi); saepissime vero inter se confundi sententias vel diversissimas (cap. III).

Inquisivimus tandem in ea, quae de vita apud inferos sui conscia proferunt tituli, et de ratione, quae inter vivos et mortuos exstat, ut quo modo sit quod post mortem remanet, indicaremus. Apparuit mortuos sensu non carere vulgo putavisse antiquos, qui defunctis gaudium aegritudinem memoriam varios animi affectus esse crederent, quamvis quid hac de re sentirent dubitanter saepe proferrent; apparuit denique mortuis vim copiamque tributas esse superstites et laedendi et iuvandi; defunctos enim invocari, utpote qui homines e vita abriperent, commissa scelera ulciscerentur, omnia porro curarent, quae ad fortunam modo defunctorum spectent (cap. IV).



APPENDIX.

Addam verba nonnulla, quibus iusta persolvendi munus indicatur, unde apparebit, quanta sit eorum multitudo quamque valde in titulis varientur [1]).

Usitatissima sunt:

condere: Bch. 367, 460, 607, 637, 638, 644, (674), 699, 712, 748, 758, 777, 842, 907, 964, 996, 1033, 1060, 1061, 1071, 1073, 1137, 1149, 1157, 1160, 1188, 1201, 1248, 1252, 1269, 1311, 1366, 1412, 1413, 1444, 1446, 1447, 1466, 1476, 1509, 1561, 1563, 1574, 1829. 74, 420, 421, 428, 472, 504, 567.

Part. conditus: Bch. 74, 77, 141, 172, 223, 421, 424, 455, 488, 541, 565, 588, 660, 716, 757, 774, 793, 971, 982, 995, 1018, 1019, 1041, 1061, 1071, 1119, 1131, 1167, 1183, 1251, 1263, 1301, 1406, 1419, 1474, 1509, 1538, 1843.

sepelire: Bch. 64, 76, 100, 556, 568, 819, 1061, 1116, 1257, 1421, 1554, 1586.

Part. sepultus: Bch. 63, 64, 71, 76, 100, 465, 497, 501, 523, 541, 592, 593, 594, 613, 651, 656, 721, 726, 756, 758, 769, 1001, 1012, 1017, 1057, 1064, 1066, 1085, 1086, 1103, 1151, 1168, 1190, 1191, 1198, 1226,

---

1) cf. W. Winand. Vocabulorum latinorum quae ad mortem spectant historia. Marburg 1906.

1230, 1304, 1334, 1341, 1376, 1385, 1388, 1486, 1554, 1565, 1817.
tumulare: Bch. (474), 544, 725, 1355, 1405, 1423, 1599.
Part. tumulatus: Bch. 680, 793, 796, 1361, 1447.

humare: Bch. 721, 730, 1050.
Part. humatus: Bch. 651, 758, 1212, 1302, 1448.

ponere ossa: Bch. 91, 824, 1144.
ponere corpus: Bch. 416, 1836. (480).
ponere membra: Bch. 759, 1422, 1418. 612 (sepulcro).
componere ossa: Bch. 1095, 1135.
componere cineres: Bch. 1001, 1243.
componere membra: Bch. 544.
componere corpus: Bch. 1016. (1576).
componere sedem membris: Bch. 1427.
deponere ossa: Bch. 1358.
deponere terris mortalia membra: Bch. 1444.
ponere terra: Bch. 1168; terrae: Bch. 487.
(de)ponere tumulo: Bch. 669, 1153, 1359, 1368.
componere tumulo: Bch. 549.
ponere membra solo: Bch. 692, 778.
deponere sub marmore corpus: Bch. 739.
imponere manes alcui: Bch. 702.

Alia verba sunt:
sepulcrum facere: Bch. 1211, 1225. cf. 565.
" ponere: Bch. 802.
" struere: Bch. 1246.
" dare: Bch. 1376.
" formare: Bch. 1592.
" sacrare: Bch. 1185.
" constituere: Bch. 559.
sepulcro tradere corpus: Bch. 537.
" dare: Bch. 541.
" venerare: Bch. 406.

tumulum facere: Bch. 825, 1017, 1208, 1431, 543.
„ statuere: Bch. 531.
„ figere: Bch. 515.
„ condere: Bch. 1335.
„ vovere: Bch. 517.
„ dare: Bch. 734, 1116 (donare).
„ honorare: Bch. 541.
„ ponere: Bch. 1571.
„ componere: Bch. 671, 761, 1059.
tumulo mandare: Bch. 1189.
„ membra locare: Bch. 526, 1354, 1358, 1395.
„ tegere ossa: Bch. 1102, 1172. inferre ossa: Bch. 1114.
„ tradere alqm. Bch. 1443.

gremio mandare: Bch. 522.
corpus committere terrae: Bch. 698, 1039.
tradere terrae: Bch. 730.
sub terra locare: Bch. 52.
restituere membra terrae: Bch. 713. restituere ossa. Bch. 1564.
artus terrenis sedibus reddere: Bch. 734.
membra busto locare: Bch. 1395.
condere rogo busta suprema: Bch. 1269.
claudere membra: Bch. 1374. claudere membra sepulcro: Bch. 397. cf. 462, 473, 477, 489, 492, 516, 609, 710, 1005, 1038, 1232, 1374, 1381, 1397, 1436, 1566.
(ad)operire cineres: Bch. 431, 1099. operire: Bch. 673.
deferre cineres et ossa: Bch. 583.
funerare: Bch. 112.
exequi corpus: Bch. 588.
exsequias dare: Bch. 1153, 1549. cf. 1001, 1297.
funeris exequia replere: Bch. 531.
ossa inferre exequiis: Bch. 1060.
locum facere, locare: Bch. 662, 1395. locum fundare: Bch. 669.
fatalem sedem dare: Bch. 396.
aeternam sedem dicare: Bch. 467.
sedem parare: Bch. 640.

manes facere: Bch. 641.
membra devovere sacrato loco: Bch. 705. (carm. Christian).

domum parare: Bch. 653, 1824. aedem ponere: Bch. 1255.
domum aeternam constituere: Bch. 59. cf. 71, 117.
mausoleum instituere et dedicare: Bch. 1237.
novissima templa struere: Bch. 1255.
suprema hospitia donare: Bch. 1583.
(extrema) monumenta facere s. locare: Bch. 68, 73, 152, 153, (154), 239, 369, 1002, 1014, 1102, 1138, 1278 (dare).
monumenta aedificare: Bch. 59, 1564.
„ exstruere: Bch. 1523.
„ condere: Bch. 1415.
monimentum statuere: Bch. 158.
marmor supremis sacrare: Bch. 213.
aram ponere: Bch. 1281, 1333, 1427.
„ scalpere: Bch. 1301.
„ statuere: Bch. 157, constituere: Bch. 461.
„ dicare: Bch. 467, 488.
„ sacrare: Bch. 478, 500.
aris sacrare: Bch. 607, 1129.
lapidem supremum ponere: Bch. 1583.

titulum adicere: Bch. 1395.
„ ornare: Bch. 1020. titulis ornare: Bch. 1112.
„ dicare (dedicare): Bch. 1155, 1028.
„ donare: Bch. 986, 1116, 1135, 1302.
„ ponere: Bch. 163, 186, 583, 773, 818, (859), 1080, 1100, 1125, 1147, 1152, 1156, 1208, 1485, 1534, 1536, 1578, 1584, 1822.
„ reddere: Bch. 1253.
„ parare: Bch. 1550.
„ facere: Bch. 551, 605, 1594.
„ celebrare: Bch. 383.
„ fingere: Bch. 1610. cf. 572.
„ locare: Bch. 1620.

titulum statuere: Bch. 1029.
„ instituere: Bch. 1278. cf. 115.
„ constituere: Bch. 1313.
„ scribere: Bch. 1141.
titulis tumulum statuere: Bch. 531.
titulo honorare: Bch. 1009.
„ figere nomen aeternum: Bch. 572.
„ colere: Bch. 1172.
supremum vitae titulum munus ponere: Bch. 583, (1141, 1301).
epitaphium dictare: Bch. 1421.
nomina locare: Bch. 857.
carmina dare: Bch. 990, 1357.
„ scribere: Bch. 1192.
„ condere: Bch. 1438.
carmen persolvere: Bch. 1403.
versus infigere: Bch. 1404.
„ scalpere: Bch. 1301.
„ describere: Bch. 1823.
„ inscribere: Bch. 521.
„ facere: Bch. 607, 1846.
„ devovere: Bch. 525.
„ dicare: Bch. 463, 521.
memoriam locare s. facere: Bch. 1620, 1831.
nominis ac officii indicium sacrare: Bch. 1103.

grave munus solvere: Bch. 739, 1348.
parvum munus reddere: Bch. 829.
extremum munus referre: Bch. 1192.
supremum munus ponere: Bch. 405, (830). cf. 1301.
(dare) munus supremi honoris: Bch. 830.
triste munus ponere: Bch. 474.
munus facere: Bch. 475, 1142.
munera parare: Bch. 1215.
„ praestare: Bch. 1377. cf. 1048.
supremum honorem imponere: Bch. 1014. deferre: Bch. 1421.
crudelia munera dare: Bch. 702.

ultima munera ponere: Bch. 1130. persolvere: Bch. 1395.
dignari munere perpetuo: Bch. 1256.

ultima dona dare (donare): Bch. 1191, 1214, 1302.
„ debita persolvere: Bch. 1536.
debitum reddere: Bch. 847, 965, 1126.
pia praemia ponere: Bch. 575.
officio fungi pietatis: Bch. 976.
extremum officium reddere: Bch. 1029.
supremum officium praestare: Bch. 172. cf. 1045.
suprema facere: Bch. 1118.
solvere triste ministerium: Bch. 1052, 1349, 1376, 1847.
iusta dare: Bch. 1508. cf. 385.
funus facere: Bch. 1034, 1059, componere: Bch. 1241, pendere: Bch. 376.
pompam ornare: Bch. 1100.

ornare ac decorare sepulcrum: Bch. 654, 795. cf. 1045, 1427.
decorare monumento: Bch. 54, 1076.
decorare supremo die: Bch. 381.
decorare tituli sedem: Bch. 492.
curas dare tumulo titulisque: Bch. 1405.

vino celebrare sepulcrum: Bch. 1244. cf. 1223.
dona ponere: Bch. 1293, 1534.
urnam dare feralem: Bch. 1321.
(dare) debita Manibus officia: Bch. 1339.
(dare) lacrumas: Bch. 1336, 1401.
lacrimas spargere tumulo: Bch. 1184.

cineres sacrare et ponere: Bch. 1036, 1129.
cineres floribus ornare: Bch. 1036, spargere: Bch. 1256. cf. 1111.
cinerem asportare (ad terram paternam): Bch. 1044.
cineres dare inferiis: Bch. 1050.

ossibus vina infundere: Bch. 1107. cf. 1256.
exstructa pyra imponere: Bch. 1034.

novissima verba dicere: Bch. 1033.
morientia lumina premere: Bch. 1030, claudere 1225, cludere 1550, tegere 452.
manibus lumina contegere: Bch: 452, 1168.
maestos scindere crines: Bch. 1168.

corpus colere: Bch. 1050, 1508.
inferias dare: Bch. 1114.
inferiis munera summa dare: Bch. 1059.
sacrum resolvere: Bch. 592, 593, 594.
tristia sacra referre: Bch. 576.



THESES.

I.

Carmina sepulcralia latina animi immortalitatem docent.

II.

Non assentior Bruno Lier (Topica carminum sepulcralium latinorum, p. 8) primarium titulorum latinorum fontem fuisse Graecorum titulos et epigrammata sepulcralia.

III.

Christiani in titulis sepulcralibus componendis veterum Romanorum titulos saepe imitati sunt.

IIII.

Sententia Cagnati (Revue de philologie, année et tome XIII p. 51 sqq.), qui lapicidis ad titulos sepulcrales componendos libros praesto fuisse putat, in quibus sententiae titulorum frequentatae fuerint collectae, reprobanda est.

V.

Carmina sepulcralia non proferunt indicia, unde quo tempore nata sint pro certo affirmetur.

VI.

Homericorum Graecorum consuetudo corpora cremandi indicare videtur hominum ante Homeri aetatem fuisse opinionem, defunctorum animis vim esse in superstites.

VII.

Cicero animi immortalitatem diserte docet.

VIII.

Bch. 1297 (Carmina latina epigraphica, conlegit Franciscus Buechelerus):

Nata brevi spatio, partu subiecta nec ante
testatur busto tristia fata Rhanis.
namque bis octonos nondum compleverat annos
et rapta est vitae, rapta puerperio.
parentis tumulus duo funera corpore in uno,
exequias geminas nunc cinis unus habet.

Fabricius testatur: praentis. Legatur *prenatis* (cf. Stowasser. Lexical. Vermutungen zu Büchelers carmina epigraphica, in Wiener Studien XXV p. 257).

VIIII.

Bch. 1189:

Reliquiae cineris tumulo mandata quiescun(t),
Aug(usti) lib(erte), sacro hoc tibi, Metrobie.

Legatur: reliquiae et cineres.

X.

Velleius Paterculus 2. 48. 3: „Curio.... vir nobilis, „eloquens, audax, suae alienaeque fortunae et pudicitiae „prodigus, homo ingeniosissime nequam et *facundus* malo „publico, cuius animo neque opes ullae neque cupiditates „sufficere possent."

Legatur: fecundus.

XI.

Herodot. 8. 120: τὰ δὲ Ἄβδηρα ἵδρυται πρὸς τοῦ Ἑλλησπόντου μᾶλλον ἢ τοῦ Στρυμόνος καὶ τῆς Ἠιόνος, ὅθεν δή μιν φασὶ ἐπιβῆναι ἐπὶ τὴν νέα.

Omittatur vox quae est ἤ.

XII.

Herodot. 8. 124: καί μιν (sc. Θεμιστοκλέα) Λακεδαιμόνιοι καλῶς μὲν ὑπεδέξαντο, μεγάλως δὲ ἐτίμησαν. ἀριστήια μέν νυν ἔδοσαν Εὐρυβιάδῃ ἐλαίης στέφανον, σοφίης δὲ καὶ δεξιότητος Θεμιστοκλέι καὶ τούτῳ στέφανον ἐλαίης.

Iure lacunam post ἔδοσαν statuit Stein.

XIII.

Sophocl. Electr. 797:

πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος φιλεῖν.

Legatur τυχεῖν.

XIIII.

De μανία, als tijdelijke waanzin, was niet slechts gevolg, maar ook doel van de orgiën van den Dionysus-cultus.

XV.

De Stoicijnsche opvatting van het wezen der ziel leidt tot loochening der onsterfelijkheid.

XVI.

Het dualisme in de kosmogonie van Euripides kan aan Anaxagoras ontleend zijn, maar is daarmee niet identiek.

XVII.

Het volksgeloof was in het Romeinsche keizerrijk niet in diep verval, toen het Christendom opkwam.